This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

A073R



Digitized by Google

CJ
2921
.B444

Digitized by Google



Digitized by Google

Bellini, Vincenzo

VINCENTII BELLINI
FERRARIENSIS
DE MONETIS ITALIÆ
MEDII ÆVI
HACTENUS NON EVULGATIS
QUÆ IN PATRIO MUSEO SERVANTUR
UNA CUM EARUMDEM
ICONIBUS
NOVISSIMA DISSERTATIO.

FERRARIÆ MDCCLXXIX.

TYPIS JOSEPH RINALDI
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google



Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS, ATQUE AMPLISSIMIS

V I R I S

MARCHIONI JOSEPHO ESTENSI TASSONI SAPIENT. JUD.

COMITI ACHILLI CRISPI

COMITI ALOYSIO RONDINELLI

COMITI JOSEPHO SCROFFA

PONTIFICIÆ FERRARIENSIS UNIVERSITATIS REFORMATORIBUS

VINCENTIUS BELLINI

LUstro nuper elapso, otio me dare proposueram; quum nempe Vobis, ILLUSTRISSIMI VIRI, Tertiam, quam de Monetis Italiæ medii ævi *Postremam* inscripsi, Dissertationem obtulerim. Ejusmodi tamen titulum mei laboris *Postremum* Vobis illico, & publicé renuentibus, & ad aliam edendam Dissertationem me excitantibus nihil reposui, ætate mihi præsertim ingravescente.

* Non

Digitized by Google

Non me quidem latebat rem esse maximæ occupationis, quæque Monetarum ineditarum copiam postularet; ideoque ab hoc conatu abhorrebam. Verúm triennio post, viribus adhuc suppetentibus, Jussuque Vestro mihi venerabili semper urgente, torporem, & quietis studium excuti, & ad inquirendos novos nummos animum adjeci. Peragratis itaque nonnullis Italiæ Urbibus, illarumque Musеis perlustratis; quum mihi licuerit quamplurimos ex omni metallo ineditos invenire, & nullis parcendo expensis mei juris facere; atque non paucos ab eruditis in idem refpondentibus Amicis reportare; nullá interpositá morá ad contexendum hoc Quartum Opusculum totum me dedi; & ne nimio tedio afficiantur Lectores, & maximé ii, qui Monetariam scientiam parvi pendent, historiolis, ut mihi semper in more fuit, exornatum volui, atque in iis exponendis, ita me gessi, ut unico asserendæ veritatis studio semper intentus, aliquando, etsi primi subsellii, Scriptores carpere, non dubitaverim. Hoc itaque feliciter completum Vobis offero, consecro, & dedico, quanto debeo, & possum submisso, & grato animo, tamquam pignus fidei, & obsérvantiæ meæ, Præsidioque Vestro commendo. Vos enim ex Iis estis, qui olim præelecti, renuntiatique ab Optimo Maximo singularis, ubique, sed pro nobis Faustissimæ Recordationis Pontifice Clemente XIV.: nuperrimé veró a Sanctissimo Pio VI. in Divi Petri Cathedra felicissimé nunc sedente, in hujus Archi-Gymnasii

Bo-

Digitized by Google

Bonum, & Decus constituti estis, ut idem in Vestram, quemadmodum geritis, impensam curam, & clientelam retineatis; nec non juvenes ad enixum acquirendæ sapientiæ desiderium, propositis premiis, excitetis, & ad excollendas scientias, generosa quadam æmulatione impellatis. Is namque, per Vos, hanc suam in dies succrescentem Universitatem amplioribus redditibus auxit; ut, & quám dignis Lectoribus stipendiis adauctis, & novis additis Ædificiis ad varia Scientiarum genera, ad Universitatis ornamenta, & ad instruendam Juventutem in Pietatis studiis accomodatis, majora fiant incrementa Virtutum. De Vobis igitur pro tam valida a Pontifice impetratione, proque Vestra diligentia in Veterum instauratione Studiorum, novarumque Ædium erectione, lapides ipsi clamabunt; Vosque in ævum, præ vetustissima Sanguinis Nobilitate, Avitæ Gloriæ non minus æmulatores, quám in optimis cunctis amplificatæ nostræ Universitatis Servatores, & Auspices concelebrabunt. De me veró, licét jamdiu mihi persuaserim, Vos ipsos, Illustrissimi & Amplissimi Viri, & plus merentis Auctoris, & eruditioris Operis esse dignissimos; ob unam tamen Animorum Vestrorum Magnitudinem, qua adeo Literarum amplitudini, ac Literatorum Bono studetis, & in eorum remunerandis laboribus semper estis munifici, in spem me quóque iterum adduxi, Vos benigné, & hilariter, quín gratissimé dicam, uti cætera mea, novum hoc Opusculum, nullo licét verborum or-

Digitized by Google

ornatu comptum, ſed humili eo ſtylo, qualem Hiſtoricum decet exaratum accepturos fore; magiſque Gratiâ, & Patrocinio Veſtro obſequentiſſimum, & addictiſſimum Auctorem eſſe cumulaturos.

Ex Publico Ferrarienſi Muſeo VI. Kal. Septemb. MDCCLXXIX.

Digitized by Google

DE MONETIS ITALIÆ

MEDII ÆVI

HACTENUS NON EVULGATIS.

ANCONÆ.

Noviſſimam de Italiæ medii ævi Monetis Diſſertationem ſcripturi, ut ſuo ordine omnia procedant, & ne a primaria methodo aberremus, ab Anconitanis exordiemur. Horum primus argenteus habet in circulo anterioris partis hæc verba DE ANCONA, & in area virum cataphractum currenti equo inſidentem, Urbis ſtemma ei a Trajano Imperatore conceſſum; cujus quidem Portum pecunia ſua magnificentiſſimè ipſe reſtauravit (1), tutioremque I.

A na-

(1) Volaterranus, Blondus, aliique inſignes ſcriptores Trajanum Imperatorem Anconitanum Portum condidiſſe memoriæ prodidere, at perperam: legitur enim apud Tacitum *Annal. lib. 3.* Cn. Piſonem Germaniâ redeuntem Anconam appuliſſe, & in ejus Portu relictis navibus terreſtri itinere Romam properaſſe; & hæc ſunt ipſiſſima ejus verba: *Piſo Dalmatico mari tramiſſo, relictiſque apud Anconam navibus, per Picenum &c.*; ex quibus evincitur, ante Trajani tempora Anconitanum Portum extitiſſe, & ad recipiendas naves commodiſſimum.

Digitized by Google

navigantibus reddidit. In medio adverſæ partis inſculpta appa-
ret litera A, addita in limbo inſcriptione P. P. S. QRIACVS:
hoc eſt *Perpetuo Patronus*, ſeu *Protector Sanctus Cyriacus*.

Idem vir caſaphractus inſpicitur pariter in antica facie ſe-
II. cundi argentei nummi, cum Urbis nomine in orbe exarato. Exhibet poſtica in circuli ſummitate binas claves decuſſatas, ſubſequentibus vocibus S. KIRIACVS EPS. *Sanctus Cyriacus Epiſcopus*, & in area hoc verbum FIDES, ad deſignandam fidelitatem ſummam, quam ſemper Romanis Pontificibus Anconitani præſtiterunt.

Binas Claves in decuſſim trajectas, & teſſerarium Urbis ſcu-
III. tum dat quòque tertius ex eodem metallo compactus nummus (1), hiſce vocibus circumvallatum ANCO. D. CIVITAS FID. *Ancona Dorica Civitas Fidei*. A græca voce Ancon, quæ cubitum ſignificat, Anconæ nomen Urbs traxit; hæc enim, & Promontorium Cumerum, in quo ſita, cubiti forma ſe incurvant: dicitur *Dorica* ad indicandos Dores primarios ejus conditores, licèt inde a Siculis fuerit reædificata, & in ampliorem formam redacta. A tergo eminet Sancti Cyriaci Epiſcopi ſtantis imago elevatà dexterà ad benedicendum, ſiniſtrà Crucem ſuſtinentis cum lemmate S. KIRIACVS EPS. Hic eſt Sanctus Cyriacus Urbis Epiſcopus, ac Patronus principalis, cujus ſacrum corpus in Eccleſia ſui nominis ab Anconitanis ſumma veneratione colitur.

Anconitanis nummis, celeberrimi Muratorii methodum pro-
ſequendo, ſuccedunt in Marchiæ Provincia ſignati; quorum pri-
IV. mus (2), & in ordine quartus ſpectat ad Paullum II. in Apoſtolicam Sedem evectum anno MCCCCLXIV. Hic ex ære compactus perhibet ex una parte Pontificis ſtemma cum ejus nomine

(1) Hunc nummum Clementis VII. temporibus Anconæ fuiſſe cuſum Xaverius Scilla nos edocet. Sub hoc itidem Pontifice Anconitani ea libertate, quam per plura ſæcula tutarunt, exuti ſunt anno MDXXXII.: qua porro arte in iis ſubigendis uſus fuerit Clemens; vide quæ ſcripſi in poſtrema Diſſertatione pag. 6. & ſeq.

(2) Maximam affinitatem habet hic nummus cum eo, quem dedimus in ſecunda Diſſertatione pag. 9.: verùm ſi accuratiùs characteres in circulo averſæ partis exarati perpendantur, ſatis perſpicitur ex diverſa matrice prodiiſſe.

Digitized by Google

ne in circuitu, ex altera Crucem, & epigraphen MARCHIA ANCO*næ*. Quum nullum alium Paullo II. antiquiorem nummum hucusque viderim Marchiæ nomenclatura signatum, conjecturari potest, horum percussionem sub hoc Pontifice primùm contigisse : qua porro in Urbe hujusce Provinciæ Monetæ cuderentur, non satis liquet ; haud multum tamen a vero aberraturum puto, si Monetariam Officinam Maceratæ præscripserim ; ibi enim Rectoris Marchiæ, & Curiæ Generalis sedes erat : Hæc autem conjecturando prætuli, suum unicuique liberum relinquens judicium.

Qui sub numero V. visitur nummus, cujus non meminit Scilla, etsi æreus sit, summo tamen in pretio est : in ejus prima fronte exhibetur Innocentii VIII. gentilitium scutum, verbis in limbo positis INNOCE*ntius* P. P. VIII. Dat postica Sancti Petri imaginem pectore tenus, & inscriptionem S. PETRVS MARCHI*a*. Quamplurimæ sub hoc Pontifice calamitates Auximo hujusce Provinciæ Urbi evenère : etenim Buccolinus Guzonus Auximanus Patria occupata anno MCCCCLXXXVI. gravi manu cœpit res moderari, & in Urbis Primates insævire. Hisce malis cupiens occurrere Innocentius invasorem perperam ad causam dicendam Romam evocatum anathemate confixit, & Urbem interdicto suppositi : armis inde suis comparatis, & Mediolanensibus corroboratus Joanni Jacobo Triultio militari in re peritissimo obsidionem commisit. Urbe premi cæpta, Buccolinus, qui ad Bajazethis Turcarum Imperatoris opem per Nuncios confugerat, nihil de contumacia sua remittens, & in consilio tyrannidis conservandæ obduratus, nec periculis, nec laboribus parcens, aggressionibus, & quibuscumque hostium conatibus fortiter semper resistebat. Obsidione ad annum MCCCCLXXXVIII. continuata, tandem a Laurentio Mediceo, qui eà tempestate maxima apud Florentinos pollebat auctoritate, Belligerantibus hoc pactum oblatum, ut Pontifex octo aureorum millia Tyranno persolveret, & ipse in ejus manus Urbem dimitteret, & posset quòcumque vellet commigrare. Buccolinus inani experto ad Bajazethem confugio, & res suas jam desperatas agnoscens, facilè annuit ; acceptàque pecuniâ, Urbe IV. Nonas Augusti evasit, & Pisaurum, inde Florentiam, demum Mediolanum accessit ; ibique quum aliquot turbidi, atque ini- V.

Digitized by Google

qui ſui animi argumenta edidiſſet, carceribus demandatus, in publico foro ignominioſa ſuſpendii pœna afficitur XVIII. Kal. Quintilis MCCCCXCIV. Qui plura de Buccolino ſcire deſiderat, adeat Aloyſium Martorellum, qui uno Volumine res Auximanas congeſſit, & Venetiis typis mandavit anno MDCCV.

Icon ſcutaria Alexandri VI. in Innocentii locum ſuffecti an-
VI. no MCCCCXCII. repræſentatur in ſexto argenteo nummo, lemmate circumſepta ALEXANDER VI. PONT*ifex* MAX*imus*. A tergo Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Paulli eminent imagines, additis in margine his verbis S. PETRVS. S. PAVLVS., inferius MARCH*ia*.

Alexandrum poſt annos ſedis XI. Pius III. excepit, quo poſt ſextum & viceſimum Pontificatus diem extincto, Julius II.
VII. ei ſucceſſit, ſub cujus imperio ſeptimus argenteus percuſſus eſt: ibi Pontificis gentilitium ſcutum viſitur, circumductis literis IVLIVS II. PONTI*fex* MAX*imus*. Habet poſtica Sancti Petri ſtantis imaginem, & epigraphen S. PETRVS. MARCHIA.

Totam anteriorem partem octavi ærei nummi occupant hæc
VIII. verba. IVLIVS PAPA II: In poſteriori conſpiciuntur binæ claves invicem innexæ, quibus ſupereminet Papalis mitra, cum hac voce in limbo exarata MARCHIA. Julius excelſi animi Pontifex & bellicis rebus ſummopere addictus, non ſibi, ſed bono Eccleſiæ vivens, in recuperandis Ravenna, Cervia, Cæſena, & Faventia a Venetis occupatis multùm inſudavit: Joannem Bentivolum Bononia expulit; Mutinam, & Regium ſibi vindicavit; Parmam, & Placentiam Pontificiæ Ditioni adjunxit; dumque Alfonſum Ferrariæ Ducem e Principatu deturbare meditabatur, & jam arma paraſſet, gravi morbo correptus IX. Kal. Martii MDXIII. ex hac vita demigravit.

Inſignia, quæ in nono viſuntur argenteo nummo ſunt Leo-
IX. nis X. in Pontificem cooptati V. Idus Martii MDXIII. A tergo eminent S. Petri, & S. Paulli imagines; in exergo MARC*hia*. Leone imperante tota fermè Piceni Provincia militum incurſiones, agrorumque populationes perpeſſa eſt: etenim Pontifex anno MDXVI. expulſo ab Urbinate Principatu Franciſco Maria Roverео Duce, & in ejus locum Laurentio ex fratre nepote cum titulo Ducis ſuffecto, Franciſcus, qui cum uxore, ac liberis Mantuam confugerat, avitam ſedem recuperaturus proximo

an-

Digitized by Google

anno novem millibus & quingentis ſtipatus militibus, in quibus quinque Hiſpanorum millia recenſebantur, magnis itineribus in Urbinatem ditionem properavit, & Urbem gravi obſidione circumvallavit. Hoc inopinato Ducis adventu Cives in lætitiam effuſi, rumore excitato, uno ore Franciſci nomen ingeminant, ſuave ejus imperium repetunt, & invocant: quibus vocibus deterritus Jacobus Roſſettus, cui cura tuendæ Urbis, duobus millibus præſidiariis militibus firmatæ, fuerat a Laurentio demandata, ut majora mala, quæ prodire ex tumultu poterant, caveret, non expectata aggreſſione deditionem pepigit, ea præſertim lege, ut ipſe, & præſidiarii, quò mallent cum ſarcinis, rebuſque ſuis illeſi demigrarent. Re ex voto ſucceſsâ, Urbinas lætis acclamationibus a populo exceptus, & brevi tota fermè ditione potitus infeſto agmine in terras Eccleſiæ penetravit, & omnia terrore replevit: quibus motus Leo ad retundendam hoſtis audaciam Nepotem cum quindecim millibus peditum, & duobus millibus equitum in eum immiſit. Mediceus non expectandum deſidioſè hoſtem decernens, in certos numeros diſtributis militibus, ac ſuo loco unoquoque ſtatuto, ipſe cum juſtis copiis ad obſidendum Sanctum-Conſtantium perrexit, & oppidum vi captum avidis prædæ militibus depopulandis conceſſit: caſtris inde ad Mandulfum in collis vertice ſitum, foſſis, & muris circumſeptum, locatis, bellicis tormentis petitur, in cujus oppugnatione Laurentius ſclopeti glande in vertice capitis percuſſus, vulneri remedia daturus, Anconam ſeceſſit. Oppugnatione continuata, cuniculique operâ, turri, & muri parte proſtratis, præſidiarii aggreſſorum vim ſuſtinere ſe poſſe veriti, initis honeſtiſſimæ deditionis legibus, aliò abière. Variæ inde velitationes inter partes ſucceſſæ, nutante hinc inde fortuna; ad Serram S. Abundii maximo ardore pugnatum, quo in bello Pontificii tum & a fronte & a tergo uno eodemque tempore magnis undique viribus preſſi cedere, & dare ſe fugæ coacti ſunt. Quod ubi accepit Leo, ut rebus ſuis conſuleret, Bernardum Cardinalem Tarlatum, aliàs Bibienam (1) ſummâ cum auctoritate ſuis armis præfecit, qui exercitus quieti ſtudens, dexterita-

te,

(1) *Bibiena* vulgò fuit appellatus ab oppido nativo ejuſdem nominis in agro Aretino poſito.

Digitized by Google

te, prudentiaque Italos, & Guaſcones milites inter ſe diſſidentes, & armis diſceptantes ad concordiam adduxit. Interea Rovereus in ſumma pecuniæ difficultate cum eſſet, in Peruſinos copias vertit, & Urbe primo impetu fruſtra tentata, tandem IX. Kal. Junii ad coemendam pacem decem Ducatorum aureorum millium ſummà Cives adegit: In Picenum reverſus ſeptem Ducatorum millia, populationibus, & maleficiis remittendis, a Fabrianenſibus, & aliis circumvicinis Populis extorſit; cumque Æſini imperatum tributum pendere retardaſſent, Urbe occupata in Cives graviter inſævitum, & eorum bona direpta: ducto inde uſque ad portas Anconæ exercitu, & a Civibus, ut ſe a rapinis eximerent, octo aureorum millibus, renitente Pontifice, impetratis, ad oppugnandum Auximum ſe convertit, in cujus obſidione cum duos & viginti dies conſumpſiſſet, longam, & difficilem expugnationem, ob ſitus aſperitatem, & Civium pertinaciam fore ratus, re infecta in ſuam rediit Ditionem, eamque annonà exhauſtam, & deſolatam inveniens, in Florentinorum fines penetravit, & non longè ab Anglaria caſtra locavit. Hiſce actis quum ei nuntiatum, Pontificem novas copias conſcripſiſſe, & ope Ugonis Moncatæ Neapolis Proregis Hiſpanos milites præmiis delinitos a jurata ſibi fide abſtraxiſſe, exitus felicitatem deſperatam agnoſcens, ſervire tempori, & meliora fata (1) expectare decrevit. Itaque conſtitutis cum Pontifice pacis conditionibus, ab Urbinate ditione demigravit, & Mantuam cum ſuis iterum ſe recepit.

En iterum Leonis ſtemma in antica ſequentis argentei nummi cum inſcriptione ut in antecedenti. Poſticam occupat San-
X. cti Petri ſtantis imago, literis in gyrum poſitis S. PETRVS APOSTOLVS: in exergo MARC*hia* cum icone ſcutaria Franciſci Cardinalis Armellini a Leone X. in Purpuratorum collegium cooptati Kal. Julii MDXVII. Is patriâ Peruſinus tantam gratiam apud Pontificem promeruit, ut fuerit ab ipſo Legati mu-

(1) Haud diutiùs cum infortuniis Franciſcus colluctatus eſt; etenim proximo anno, qui fuit MDXVIII., Laurentio e vivis ſublato, Leo in Urbini dominatu continuavit; & eo tertium poſt annum functo, Rovereus, nullo obice, Principatum recuperavit, & ab Hadriano, qui Leoni ſucceſſit, in gratiam, amicitiamque receptus.

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

ANCONÆ



Digitized by Google

munere in Piceno, & in Umbria insignitus, & S. R. E. Camerarius renuntiatus. In Urbis direptione a Cæsareis armis facta anno MDXXVII. in arce S. Angeli una cum Clemente VII. & duodecim aliis Purpuratis obsessus gravi morbo pressus mense Octobris fatis concessit, & ejus corpus in Æde S. Mariæ Transtyberim sepulturam accepit.

Postremus argenteus nummus sub eodem Leone cusus est; ibi Pontificis gentilitium scutum cum ejus nomine in circuitu. XI.
Alterius frontis medium occupant Claves decussatæ, alligatæque hastæ Umbellæ Pontificiæ, quam Confalonum vocant, additis in margine his verbis CLAVES REGNI CAELORVM. MARC*bia*.

AQUILÆ.

AQuilam in Aprutio Vestinorum sitam ex Amiterni, & Forconii antiquarum Urbium ruinis insurrexisse, constans est Historiographorum sententia: Harum ergo coloni, qui cladi supererant, in proximum montem se recipientes prima hujusce Urbis fundamenta jecère, quæ progressu temporis ad tantum fortunæ fastigium ob incolarum numerum, ædificiorumque magnificentiam evenit, ut cæterarum hujusce Provinciæ Civitatum Principatum mœruerit reportare. Hæc a Friderico II. mœnibus circumsepta, & Aquila in honorem Imperii, cujus insigne Aquila est, nuncupata, Suevis paruit ad Manfredi obitum ejusdem Cæsaris filium nothum, qui cum fuisset a Carolo Andegavensi Sancti Ludovici Francorum Regis fratre bello petitus, & in acie cecidisset, utriusque Siciliæ Regni summa ad victorem devenit. Itaque post Carolum, Carolus II. ejus filius sceptrum tenuit, & hoc functo, Robertus ex eo natus ad annum usque MCCCXLIII. rebus præfuit, qui cum prole careret, Joannam ex Carolo filio e vivis rapto MCCCXXVIII. natam, Regni hæredem constituit. Joannæ a Carolo Dyracchi Duce suffocatæ ipse Carolus successit, & eo MCCCLXXXVI. proditorie interfecto (1) Ladislaus ejus filius decem annos natus

(1) Ludovico Ungariæ Rege anno MCCCLXXXII. e vivis sublato, sceptrum,

Digitized by Google

tus unà cum Margareta matre imperii habenas ſuſcepit: quod cum aliquot Regni Principes Carolo infenſi ægrè ferrent, collectis quatuor millibus & ſexcentis equitibus Neapolim occuparunt; conſtitutiſque ſex probis Viris ad Urbis regimen, Ludovicum Andegavenſem, qui fuerat a Joanna hæres Regni declaratus, ad capiendum Principatum in Italiam evocarunt. At Regina, quæ ſub initium tumultus in Caſtrum Ovi cum filiis ſe receperat, deinde Cajetam confugerat, quum nullum alium præter Pontificem injuriæ vindicem ſperaret, ad Bonifacium IX., qui poſt Urbani VI. exceſſum fuit IV. Nonas Novembris MCCCLXXXIX. Pontifex renuntiatus, Nuncios miſit ſuppliciter ejus ſuffragia poſtulantes; neque irritæ preces fuere: etenim Pontifex Neapolitanos ad rectos juſtitiæ tramites reducere cupiens, officioſis Literis admonuit, ut quibuſcumque antiquatis ſimultatibus legitimo ſucceſſori obſequium præſtarent; miſſoque Cajetam Angelo de Acciajolis Cardinale, Ladislaum VIII. Kal. Majas MCCCXC. in Regem Siciliæ, Jeruſalem, & Apuliæ ipſe coronavit. Hoc eodem anno XIX. Kal. Septembris Ludovicus cum valida claſſe Neapolim appulſus, & a Civibus honorificè exceptus, Fidelitatis ſacramentum ab eis exegit, & Regni curam ſuſcepit. Qua de re commotus Pontifex, armis ad ulciſcen-

---

ſceptrum, ut ipſe edixerat, ad Mariam filiam decem tantùm annos natam delatum, quæ ob teneram ætatem tanto imperio impar, unà cum Elizabetha matre rerum curam ſuſcepit; at perbrevis earum fuit principatus: etenim aliquot Regni Proceres fœminile imperium perteſi Carolum III. Neapolis Regem Ludovici functi nepotem ad accipiendum Regnum evocarunt, & ipſe parvo cum comitatu citato itinere eò properavit. Ad triſte hujus irruptionis nuncium Reginæ quamquam ſupremo dolore perculſæ animis non cecidère, ſed ad præſens tempus diſſimulata ira, Carolum hilari vultu excepère, & ejus coronationi aſſuère. Imperio ſic arrepto invaſor, ſecundis inflatus rebus Reginas exauctoravit, regiâ expulit, & in Arcem relegavit. Hac indignitate irritati qui pro Reginis ſtabant, haud ampliùs conſtandum, & ferendum rati, cum quibuſdam Proceribus conſilio inito, de eo interimendo convenère, & brevi ſe præbuit occaſio: etenim Carolus ſub initium Februarii MCCCLXXXVI. quum ad Arcem Reginas colloquuturus ſe contuliſſet, a ſatellite ad id parato in capite lethaliter vulneratus die XXIV. ejuſdem menſis vitam cum ſceptro depoſuit.

Digitized by Google

ſcendam injuriam comparatis, Albericum de Barbiano, qui ea tempeſtate maximum in bellicis rebus ſibi nomen fecerat, in hoſtem immiſit. Bellum ad annum MCCCXCII. continuatum alternante hinc inde fortuna, quo tempore Ladislaus in aciem progreſſus primo impetu Aquilam occupavit, & Cives in ejus cultum primum, quem damus, nummum obſignarunt. Eſt hic æreus pauculo argento mixtus, oſtenditque in anteriori fronte Crucem Regis nomine circumſeptam LADISLAVS REX. Dat I.
poſtica gradientem Leonem verbis in gyrum poſitis JERL. Ʒ SICI. AQL. *Jeruſalem & Siciliæ. Aquila.* Anno verò MCCCXCVIII. arridente ſibi fortuna perſpecta deſiderio potiundi Neapolis captus, Raimundo Urſino, & Sanſeverinatibus, ut eorum operà voti compos redderetur, ad ſuam partem attractis, proximo VII. Idus Quinctilis Neapolim cum Claſſe applicuit; nonnulliſque cum Primatibus firmatis pactis, communi omnium conſenſu Rex ſalutatur. Quod quum accepiſſet Ludovicus, qui Tarenti verſabatur, ut ſe a ſuis fautoribus deſtitutum agnovit, navali fuga ad ſuam ſedem triſtis repetiit.

In area ſecundi ærei nummi exhibetur Crux lemmate circumſepta RENATVS DEI GR*atia* REX. Leonem præfert averſa pars, & Urbis nomen DE AQUILA. De Renato plura II.
agemus in Neapolitanis nummis, ad quos Lectorem remitto.

ARIMINI.

UNicum hìc exhibeo argenteum nummum ſub Sigiſmundo Pandulpho de Malateſtis cuſum (1), in cujus prima fronte legitur nomen Principis ſculptoris vitio ſic exaratum S. PADOLNVS I.
DE M. A. T. S. *Sigiſmundus Pandulfus de Malateſtis*, quatuor poſtremis literis in area in formam Crucis diſpoſitis. In medio averſæ partis inſpicitur litera A hiſce characteribus circumſepta RIMINE SI. Carolus de Malateſtis Arimini, Fani, & Ceſenæ Toparcha morti proximus, nihil antiquius habuit, quàm quæ ad Principatum viſa ſunt teſtamento diſponere. Tres erant ei

(1) Conſpicuus hic nummus extat Savignani in inſigni Muſèo eruditi viri Abbatis Petri Burgheſii, cujus formam ſumma cum humanitate mihi communicavit.

Digitized by Google

nepotes Robertus ſcilicet, Sigiſmundus, & Dominicus, quos apud Brixiam Pandulfus frater ex contubernio ſuſceperat, & horum unicuique ſuam portionem aſſignavit, Roberto Ariminum, Sigiſmundo Fanum, Cæſenam Dominico, qui proprio dimiſſo nomine, Malateſta Novellus voluit appellari. Carolo, anno MCCCCXXX, e vivis ſublato, Fanum in hæreditatis partem Sigiſmundus ſuſcepit; cumque biennio poſt Robertus frater Chriſtianæ Religionis cultor eximius, & in Deum pietate ſummus ad cœleſtem patriam evolaſſet, Ariminenſium quòque rerum potitus eſt. Hoc eodem anno Sigiſmundus cum filia Franciſci Carmagnolæ in armis celebris, & Venetorum exercitus Præfecti ſponſalia celebravit, & partem Dotis reportavit: verùm cum Carmagnola apud Senatum de proditione fuiſſet criminatus, & Patrum decreto ſecuri percuſſus, ſub ignominioſæ patris mortis pretextu ſtare promiſſis, acceptamque pecuniam reſtituere recuſavit; & anno, qui inſequutus, Juniperam Nicolai Eſtenſis Ferrariæ Vicarii filiam connubio ſibi ſociavit. Poſt hæc Sigiſmundus paternis veſtigiis inſiſtens, cuncta animi ſtudia in militari diſciplina addiſcenda collocavit; & adeò in variis expeditionibus ejus bellica virtus emicuit, ut apud Italas gentes grande ſibi nomen comparaverit: A Senenſium Republica ad armorum imperium fuit accerſitus: In Venetorum exercitu copiarum Ductor non ſemel militavit; & ab Eugenio IV. fuit Capitaneus Generalis declaratus, & Confalonerii munere condecoratus. Haſce porro virtutes enormiſſima ejus vitia obſcurarunt: fuit enim ingenio acri, callidoque, animo ſemper feroci, & ad quodcumque perpatrandum ſcelus promptus: in eo nulla fides, nulla religio, & dira in primis crudelitas; & adeò ſævitia eum invaſerat, ut non modò ſubditos, ſed etiam uxores, lectiſſimas fœminas, per omnem injuriam, atque contumeliam vexaverit: Juniperam anno MCCCCXL. veneno ſuſtulit, & Polixenam Franciſci Sfortiæ, qui ob ingenium, & rei militaris peritiam Familiæ ſuæ dignitatem & nomen dedit, ex furto filiam, quam proximo anno duxerat, octavo matrimonii anno linteo ſuffocavit. Libidinis quòque illecebris turpiter captus plures ex variis fœminis filios procreavit, inter quos maximè recenſendus Robertus ex Vannucia Foſchi Fanenſi anno MCCCCXLII. natus, ſingulari prudentia, & animi magnitudine clarus, qui ob egregia

Digitized by Google

gia facinora *Magnifici* agnomen meruit reportare. Polixena vivente, Isottam (1) Ariminensem ex nobili Actiorum gente progenitam perditè adamavit, & post decem circiter concubinatus annos matrimonio sibi junxit. Erat insuper Sigismundus pecuniarum avidissimus, naturà mutabilis, novarumque rerum cupidus, neque mirum, si progressu temporis a debita erga Pontificem veneratione deflexerit. Anno ergo MCCCCLXI. insano, & sibi exitiali ductus consilio, infesto agmine in agrum Picenum penetravit, & aliquot illius Provinciæ Oppida, atque municipia in suam potestatem redegit. Temerario hoc ausu irritatus Pius II. postero anno Friderico Feretrano Urbini Comiti Ecclesiastici exercitus Moderatori mandavit, ut in Rebellem properaret. At ubi Sigismundo, qui Senogalliæ versabatur, nunciatum, Urbinatem non procul ab Urbe cum tota acie constitisse, ut imminens sibi periculum declinaret, nocte, quæ XIX. Kal. Septembris præcessit, silenti agmine Mondavium versus iter intendit; qui a Friderico insequutus, ubi copia pugnandi data, brevi a Pontificiis Malatestiani superati sunt; non pauci cæsi, quamplurimi intercepti, inter quos Franciscus Picus Mirandulanus, qui cum quingentis equitibus auxilio venerat; & ipse Sigismundus, ubi de exercitu actum cognovit, terga vertit, & Mondavium cum paucis se se recepit. Ea usus victoria Fride-

(1) Erat Isotta venustate præstans, & in latinis literis, atque poeticis studiis erudita; eloquentiâ non vulgari prædita, adeo gratiâ sermonis Sigismundi animum devinxit, ut eam anno MCCCCLIII. sibi desponsaverit. In domo Conjugis confirmata adeo prudenter se gessit, ut omnium Civium studia in ejus benevolentiam accensa fuerint, & in Mariti absentia tanta æquitate urbanas res moderavit, ut præter ejus imperium nullum aliud exoptaretur. A Sigismundo legitimæ prole carente Ariminensis principatus hæres ex testamento facta, quum probè calleret ad Romanam Ecclesiam esse devolutum, ut Cives in fide titubantes in officio posset continere, Robertum privignum sibi socium in imperio adscivit, qui solus regnandi studio incensus Novercam anno MCCCCLXX. adulto Decembri veneno extinxit. Corpus ad Ecclesiam Sancti Francisci delatum, in Mausoleo opere & materia pulcherrimo, quod ei anno MCCCCL. Sigismundus paraverat, reconditum. Et hic hujusce inclytæ fœminæ finis fuit, cujus præclaræ dotes honestiora in suis amoribus initia, & meliorem exitum vitæ suæ meruissent.

Digitized by Google

ricus in Malateſtæ ditionem penetravit, & nemine ejus impetum ſuſtinente facili negotio Mondainum, Sanctum-Archangelum, & totum fermè Ariminenſem Comitatum Eccleſiæ imperio ſubegit: ad obſidendum inde Fanum adortus, quod militari præſidio Robertus filius tuebatur, cum quatuor menſes aggreſſionibus, cuniculis, & bellicis tormentis urbem fatigaſſet, tandem in deditionem accepit. Hiſce malis deterritus Sigiſmundus, ne pari exitu Ariminum peſſundaretur, maturè ſibi conſuluit, & per Oratores ad Pontificem miſſos, ſe ejus imperata facturum pollicetur. Haud facilè acquievit Pontifex; tandem in iis conventum; ut occupata loca ſub Eccleſiæ poteſtate remanerent, & ipſe Sigiſmundus Arimino tantùm, exiguaque ejus agri portione, quoad viveret, contentus foret, & ſingulis annis aureos mille Apoſtolicæ Cameræ perſolveret. Ad annum uſque MCCCCLXVIII. egit in Principatu Sigiſmundus, quo, morbi diuturnitate confectus, aſſiduis Iſottæ præcibus fatigatus, & ejus benignis alloquiis, ſalutaribuſque monitis devictus ad bonam frugem ſe recepit: omnibus ergo Sacramentis ritè procuratus VII. Idus Octobris naturæ conceſſit, & ejus corpus in Templo Sancti Franciſci ab ipſo condito MCCCCL. ſepulturæ datum.

ASCULI.

ASculum non ignobilis Piceni Urbs variis, prout ſors tulit, ſubjecta Principibus, tandem ad Comitem de Carraria devenit anno MCCCCX., ſub cujus imperio primus, quem damus, ex
I. ære compactus nummus, cuſus eſt. Oſtendit hic in anterioris partis circuli ſummitate Rotam currus inclytæ hujuſce Gentis ſtemma, quæ centum & amplius annos Paduæ tenuit dominatum, ſubſequentibus vocibus COMES De CARARIA. quatuor poſtremis literis in area ad Crucis formam diſpoſitis. Dat poſtica Crucem & Rotam cum urbis nomine in circuitu DE ESCVLO. Is itaque Comes Franciſci ſenioris Patavii Reguli frater præclaris majorum ſuorum veſtigiis inhærens ad acquirendam ex armis gloriam totum ſe dedit, & apud Bonifacium IX. ſummum Pontificem cum titulo Capitanei ſtipendia meruit anno M.

Digitized by Google

MCCCXCIII. (1) Eo in munere confirmatus maximum sibi nomen fecit anno MCCCC. in recuperanda Perusia, quæ a fide Pontificis desciverat, & cives detrectantes haud æquis conditionibus ad ejus obsequium adegit. Bonifacio quartum post annum impio calculorum cruciatu è vivis sublato, Carrarienſis majorem forsan gloriam concupiscens ad Ladislai Neapolis Regis castra, Romæ dominio inhiantis, transivit; quo tempore quum inter Innocentium VII., qui in Bonifacii locum subierat, & Romanum populum exortæ essent contentiones & undecim Urbis Primates, ut eas componerent, ad Pontificem se contulissent; hi post colloquium suas domos redeuntes a Ludovico Melioratо Innocentii ex fratre Nepote intercepti, crudeliter interfecti sunt. Tanti sceleris inscius Pontifex, ut iram armati populi per vias, & fora debacchantis declinaret, & propriæ incolumitati consuleret, Urbe excessit, & Sutrium, inde Viterbium se recepit. Ea de re a Columnienſibus, & Sabellis commonefactus Ladislaus, nil cunctandum ratus, cum justis copiis, quibus Carrarienſis (2) & Comes Trojæ imperabant, Romam festinavit, & XIII. Kal. Septembris MCCCCV. in eam ingressus est: quod cum Romani egrè ferrent, ad arma ventum est, & per plures horas pari ardore certatum neutri inclinante Victoria; post pugnam Rex rebus suis timens in suburbio Sancti Petri castra firmavit; ibique quum viginti diebus consedisset, & ei nuntiatum Paullum Ursinum cum Pontificio exercitu Romam adventare, aliò se recepit. Biennio post quum grave bellum inter Ludovicum Melioratum Firmi Toparcham (3) & Pontificem gereretur, affuit Firmano Regis mandato Carrarienſis (4) cum sexcentis equitibus, quibus corroboratus Melioratus in

(1) Compagnonus Hist. Piceni pag. 261., & 264.

(2) Muratorius ad ann. 1405.

(3) Fuit Ludovicus ab Innocentio VII. ejus Patruo Firmanorum Princeps, & Rector Marchiæ designatus anno MCCCCV.: Innocentio biennio post fatis functo, Melioratus beneficii gratiam malè rependens, aliquot Ecclesiasticæ ditionis loca armorum vi sibi adjudicavit: qua de re irritatus Gregorius XII., qui Innocentio successerat, sub sui Pontificatus initium Benedictum Episcopum Feretranum Marchiæ Rectorem constituit, & in rebellem copias immisit.

(4) Lilius Hist. Camerini pag. 134.

Digitized by Google

in Varanos Camerini Regulos, qui Pontifici adhærebant, arma movit, & totam eorum ditionem populationibus, ac rapinis deformavit: laboribus tandem belligerantes fessi induciæ primum ad tres menses inter partes sancitæ, dein sub anni MCCCCVIII. initium, optata firmata pax, & discordiis finis datus. Hoc eodem anno Ladislaus desiderio potiundæ Romæ iterum captus, cum tribus & viginti armatorum millibus eò seceſſit, devinctoque sibi auro, atque pollicitationibus Paullo Ursino, cui Urbis cura fuerat demandata VII. Kal. Majas triumphali pompa a Romanis exceptus est. Post hæc Ladislaus, ut præclara Carrarienſis gesta rependeret, Aprutii primum Vice-Regis dignitate condecoravit, & anno MCCCCX. Asculi dominium ei assignavit, eoque imperante conspicuus hic nummus, ut superiùs innuimus, obsignatus est.

Post decem principatus annos Comite Carrariæ ex humanis rebus subtracto; Ardicio, & Opizo ejus filii urbanarum rerum curam susceperunt, qui quum diutiùs imperium se retinere posse diffiderent, honestis conditionibus Martino V. tunc Summo Pontifici urbem cessère. Martino MCCCCXXXI. fatis rapto Eu-
II. genius IV. succeſſit, sub quo argenteus secundus nummus percussus est. Exhibet hic in circuli summitate binas claves decussatas subsequentibus verbis VGENIV PAPA, ubi scalptoris errore omissa est litera E., quum scribi deberet Eugenius. Tota posterior pars ab hisce characteribus occupatur S. INNID. D. ESCVLO. hoc est *Sanctus Emygdius de Æsculo*.

In tertio æreo nummo inspicitur ex una parte erectus Leo cydonium pomum sustinens, Sfortianæ gentis insigne, literis in
III. gyrum positis *Franciscus* SFORTIA: ex altera Arx, Urbis tessera in circuli summitate posita, addita inscriptione DE ESCVLO. Franciscus Sfortia percelebris illius ævi armorum Dux anno MCCCCXXXIII. cum suis, & Philippi Mariæ Mediolani Ducis copiis, dissimulato itineris sui consilio (1), in Marchiam Anconitanam penetravit, & aliquot illius Provinciæ Urbes, inter quas Asculum, partim vi, partim mætu sibi comparavit.

Hisce

(1) In Apuliam contendere rumorem sparserat, ad cohibendos Jacobi Caudolæ progressus, qui Serra, & Capriola occupatis, cæteris oppidis, quæ jure patris ipse possidebat, inhiabat.

Digitized by Google

Hiſce malis edoctus Eugenius tunc Pontifex, ut finem populationibus imponeret, & Populis pacem daret, Picenum agrum invaſori, quoad viveret, Fiduciario jure, addito Marchionis titulo, conceſſit, & Eccleſiæ Vexilliferum renuntiavit. Cæterum progreſſu temporis cum in Eugenium armis inſurrexiſſet, Pontifex, Alphunſo Aragonio utriuſque Siciliæ Rege in auxilium accito, hoſtem tota Marchia deturbavit, & Urbes ab eo occupatæ ad priſtinum Dominum rediere. Sfortia ergo imperante, nummus percutitur.

A S T Æ.

IN area primi argentei nummi exhibetur Gallorum Regum teſſeraria icon hiſce characteribus circumſepta LV. D. G. FRAN. REX MLI. DVX. AC AST. DNS. *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, Mediolani Dux, ac Aſtæ Dominus.* In oppoſita Sanctus Secundus (1) Urbis Patronus principalis equo inſidens cum lemmate SANT SECOND. ASTENSIS. Ludovicus Aurelianenſis Dux, ducta in Uxorem anno MCCCLXXXIX. Valentina ex Joanne Galeatio Mediolani Domino nata, Aſtenſem Civitatem in dotem reportavit. Ludovico a Sicariis per Joannem Burgundiæ Ducem immiſſis anno MCCCCVII. trucidato, Carolus ejus filius ſexdecim annos natus imperii jura ſuſcepit, qui cum octo & quinquaginta annos rebus præfuiſſet, fato ceſſit, Ludovico filio principatus hærede relicto. Hic poſt Caroli VIII. exceſſum in Francorum Regem MCCCCXCVIII. cooptatus, proximo ad invadendum Mediolanenſem Ducatum Aviæ Valentinæ jure ſibi debitum (2) ſuas copias immiſit. Re ex voto ſucceſſa, Ludovicus fuit Mediolani Dux renuntiatus, eoque tempore ab Aſtenſibus in ejus cultum nummus obſignatus. I.

Ad eumdem Principem ſpectat ſubſequens æreus nummus, in cujus antica facie tria lilia conſpiciuntur hiſce vocibus in margine exaratis LV. D. G. FRANCORVM REX. Poſtica præfert Crucem graphicè elaboratam, ſcriptis per gyrum literis MLN. DVX ASTENSIS. Q. D., hoc eſt, *Mediolani Dux, Aſtenſiſque Dominus.* II.

BO-

(1) De Sancto Secundo vide, quæ dixi in poſtrem Diſſert. pag. 11. & ſeq.
(2) Conſule Diſſertationem typis editam anno MDCCLXVII. pag. 85.

Digitized by Google

BONONIÆ.

I. Primus aureus nummus oſtendit in anteriori fronte Alexandri VI. ſtemma, verbis in orbe poſitis ALEXANDER PP VI. In poſteriori Sanctum Petrum ſtantem cum lemmate S. PETRVS APOSTOLVS: inferiùs ad dexterum latus Aſcanii Cardinalis Sfortiæ ſcutum teſſerarium, & illud Urbis ad ſiniſtrum. Erat Aſcanius ex Franciſco Sfortia natus, qui ob ejus præclara in bellicis rebus geſta fuit anno MCCCCL. Mediolani Dux renuntiatus. Is ad Ludovici fratris preces a Xiſto IV.(1) ſacra purpura decoratus, cum multa in arduis negotiis peragendis polleret dexteritate, prudentiàque, ab Innocentio VIII. ejus ſucceſſore Bononienſem Legationem anno MCCCCLXXXV. meruit reportare. Ad annum uſque MID. eo in munere ſe geſſit, quo Mediolanum properavit, ut Ludovico fratri præſto eſſet, qui fuerat eodem anno ab Ludovici Francorum Regis armis e Mediolanenſi Ducatu deturbatus: fortem ipſe in eo recuperando operam præſtitit, & res ex voto ſucceſſit; inani porro conatu; etenim paucos poſt menſes, versà iterum fortunæ alea Lodovicus a ſuis proditus, & in manus hoſtium dimiſſus, ad tolerandum in Gallia carcerem uſque ad mortem adactus eſt. Parem quòque calamitatem ſubiit Purpuratus; is enim, ut fraternas res omnino exciſas agnovit, in agrum Placentinum confugiens, ab Venetorum equitatu interceptus, Venetiis in cuſtodiam traditur. Ad Regis inde petitiones in Galliam tractus, & in carcerem detruſus per aliquot menſes iniquam ſortem ingemuit: ope tandem Georgii Cardinalis Amboſii in libertatem vindicatus, in aula Regia ſummo honore cultus ad Alexandri VI. obitum diverſatus eſt, quo tempore, quum Romam ad Comitia ſe contuliſſet, anno qui fuit quintus ſupra milleſimum

(1) Facilè Ludovici petitionibus aſſenſit Pontifex: nupſerat enim Catharina Ludovici neptis Hieronymo Riario ex Blanca ejus ſorore nata, qui fuerat ab eodem Xiſto Fori Livii Toparchia cohoneſtatus. Qui plura de hac inclyta, atque cum paucis comparanda fœmina ſcire cupit, adeat Diſſertationem excuſſam anno MDCCLXVII. pag. 55. & ſeq.

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

AQVILÆ

ARIMINI

ASCVLI





ASTÆ

BONONIA

Digitized by Google

simum quingentesimum non sine veneni suspicione cursum Vitæ suæ confecit, & ejus corpus in templo Sanctæ Mariæ ad Flumentanam portam sepulturæ datum.

Exilientem Leonem vexillum sustinentem cum epigraphe BONONIA DOCET habemus in prima facie secundi aurei nummi. Dat postica aliquantulum detrita Sanctum Petrum stantem, ad cujus sinistrum latus, crystallinæ lentis ope, aliquot pilæ conspiciuntur Mediceæ gentis insigne, ex quibus argui potest sub Leone X. fuisse obsignatum. II.

Inter quamplurimos aureos nummos Bononiæ signatos, tres, licèt recentiores, summæ tamen præstantiæ in nostro Museo conspiciuntur, quorum quisque in pondere duobus aureis Romanis vulgò *Zecchini*, tribus granis minùs, æquipollet. Horum primus exhibet in anteriori fronte Urbani VII. insigne in Apostolica Sede collocati VIII. Kal. Octobris MDXC. cum ejus nomine in circuitu. In posteriori Crucem affabrè elaboratam, & inscriptionem BONONIA DOCET. inferius Urbis stemma, & illud Cardinalis Alexandri Peretti a Sixto V. Bononiensi Legatione insigniti, anno MDLXXXVII. Fuit Urbanus patriâ Bononiensis ex Castanea Familia ortus; nec diu in dignitate hæsit, tertiodecimo enim ab electione die è viventium numero sublatus est. III.

Post Urbani excessum a Patribus eodem anno Nonis Decembris Nicolaus Cardinalis Sfondratus Mediolanensis, Cremonæ Episcopus, Pontifex renuntiatur, nomine Gregorii XIV. assumpto, sub cujus principatu subsequens nummus cusus est. Ejus antica pars ostendit tesserarium Pontificiis Scutum hacce epigraphe circumseptum GREGORIVS XIIII. PONT*ifex* MAX*imus*. Postica in omnibus consonat cum antecedenti. Is cum decem tantùm menses, & totidem dies universali Ecclesiæ præfuisset extremum vitæ spiritum edidit. IV.

Quarto Kal. Novembris MDXCI. Gregorio successit Joannes Antonius Cardinalis Fachinettus Bononiensis, qui voluit se Innocentium IX. appellari; & die XXIX. Decembris ejusdem anni ex hac vita demigravit: eo tamen imperante nummus percutitur, in cujus prima facie inspicitur gentilitiâ Pontificis parma, verbis in gyrum positis INNOCENTIVS IX. PONT*ifex* MAX*imus*. In adversa nihil novi occurrit præter Peretti stemma in cujus loco illud Cardinalis Paulli Sfondrati, Legati munere V.

Digitized by Google

a Gregorio XIV. ejus patruo anno MDXCI. cohoneſtati, fuit collocatum. Sub hiſce tribus Pontificibus nullum aureum nummum Romæ, ſed tantum Bononiæ fuiſſe ſignatum, certò conſtat; ideoque non omittendos, & meritò publicandos fore duximus.

BRIXIÆ.

PRimus ex optimo argento conflatus, nummus, cujus pondus
I. ad lancem venetam, qua ſemper utor, examine facto, decem ſiliquas, vulgò *Carati*, ſeu quadraginta granos æquat, exhibet in antica facie crucem, & verba FRE. IMP. *Fridericus Imperator*. Eadem pariter Crux inſpicitur in averſæ partis medio cum Urbis nomine in circuitu BRISIA. Friderico Œnobarbo imperante Brixiam monetà frui cœpiſſe ex Brixienſi parvo, ſed fide digno, Cronico didicimus, in quo ad annum MCLXXXIV. ſic legimus: *Moneta Brixiæ facta eſt*; quo quidem anno inter ipſum Cæſarem, & Lombardiæ Civitates Conſtantiæ Pax firmata eſt.

In antica ſecundi argentei nummi facie inſculptum apparet teſſerarium Malateſtæ gentis ſcutum cum hac inſcriptione
II. in orbe exarata PANDVLFVS De MALATESTIS. Oſtendit poſtica exilientem Leonem cum epigraphe DOMINVS BRIXIE. Pandulfus Fani Toparcha ex Galeotto Malateſta natus deſiderio acquirendi ex bello gloriam captus, urbanarum rerum curà Carolo fratri demandatà, ad caſtra Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolani Ducis perrexit; cumque variis in dimicationibus ſtrenuè ſemper, ac ſumma cum laude ſe geſſiſſet, tantam gratiam apud Principem promeruit, ut in premium virtutis fuerit Brixiana Præfectura condecoratus. Galeatio anno MCCCCII. e vivis ſublato, & in ejus locum Joanne Maria filio ſuffecto; Pandulfus, juvenis Ducis imbecillitate perſpecta, Brixiæ dominium ſibi adſcivit, & legitimorum Principum more monetas ſuo nomine inſcriptas cudi fecit. Joanne Maria ob ejus ſcelera, atque inauditas crudelitates anno MCCCCXII. a conjuratis in Æde aulica S. Gottardi trucidato; Pandulfus perenni pace, & ſecuritate potiri in omnibus ratus, fatali bello circumventus eſt: etenim Philippus Maria occiſi Ducis frater in Dominatu ſucceſſor,

Digitized by Google

ſor, ut res ſuas a ſupremis erumnis vindicaret, ad expellendos Tyrannos, qui in vita fratris varias Mediolanenſis ditionis Urbes occupaverant, totum ſe dedit, & Franciſco Buſſono, uſu, & arte militari inſigni, a nativitatis loco *Carmagnola* dicto, belli molem commiſit. Is anno MCCCCXIX, ducto in Pandulfum exercitu, Brixiano agro depopulato, & nonnullis oppidis partim vi, partim metu in ſuam poteſtatem redactis, ſtationes militum circa urbem diſpoſuit; cumque aliquando ad ejus muros equitaret, a perito milite telo in collo vulneratus Mediolanum contendit. Confirmata haud multos poſt dies valetudine, & ad caſtra reverſus, iræ & minarum plenus graviter in Brixianos inſæviit; propria enim manu ſeptem & viginti cives extra urbem interceptos enecavit, ſeptem mulieres tonſas & denudatas in urbem compulit, aliaque immanitatis ſuæ exempla edidit. Hæc dum a Carmagnola gerebantur; Pandulfus tantam ſe tempeſtatem diutiùs ſuſtinere poſſe diffidens, Carolum fratrem in opem accivit; & is collectis tribus millibus equitum, & multo peditatu, ſub ductu Ludovici Meliorati Firmi Reguli, eò immiſit. Adventantibus hoſtibus tempeſtivè occurrit Carmaniola, conſertiſque manibus VIII. Idus Octobris MCCCCXX. pari ardore per ſex horas ad Montem Clarum pugnatum; prævalente tandem Vicecomitis multitudine, Malateſtarum turmæ deletæ, & ipſe Melioratus interceptus. Quod ubi reſcivit Philippus, Ludovicum captivum ad ſe adduci jubet, quo cum tanta clementiæ gloria, ac magnificentia eſt uſus, ut haud multos poſt dies non libertatis modò compotem fecerit, ſed variis donis decoratum dimiſerit. Obſidione ad proximum annum continuata, Pandulfus, ſive rebus ſuis timens, ſive viginti aureorum millibus ſibi a Vicecomite numeratis illectus, Carmaniolæ XVII. Kal. Aprilis Urbem ceſſit, & ad ſuum Principatum reverſus eſt. Cætera Pandulfi geſta hìc repetere ſupervacaneum duxi, cum in aliis meis elucubrationibus, ubi de Brixianis, & Fanenſibus nummis egi, memorata perpendantur.

Digitized by Google

CAMERINI.

IN medio primi argentei nummi insculpta apparet litera A, verbis in gyrum positis IOA*nnes* CAMERINI DVX. Dat postica hanc inscriptionem SANCTVS VENANTIVS. quatuor postremis literis in area in formam Crucis dispositis. Julio Cæ-
I. sare Varano Camerini Regulo a Cæsare Borgia, Valentino dicto, Principatu deturbato, & unà cum tribus filiis, contra datam fidem trucidato: Alexander VI. tunc Summus Pontifex ad decorandam omnibus, quibus posset, honoribus, divitiisque Familiam suam semper intentus, in Consistorio habito IV. Nonas Septembris MDII. Camerinum Joanni Borgiæ annorum quinque puerulo cum Ducis titulo in Feudum assignavit, onere tamen imposito, ut ipse, & ejus successores *mille Ducatos Juliorum decem pro quolibet Ducato* Apostolicæ sedi singulis annis persolverent. Verùm quum novi Principis ætas tantarum rerum molem sustinere non posset, regiminis cura fuit a Pontifice Francisco Cardinali Cusano demandata, quo in munere quum haud diutiùs egisset, ei successor datus Petrus Perez natione Hispanus, qui quum Proceres Varanæ Genti addictos, & in fide erga Pontificem titubantes conspexisset, ut frænum eis imponeret, novam Arcem erigendam curavit. Jactis ergo summa cum solemnitate Kal. Maji MDIH. fundamentis, tanto studio opus acceleravit, ut quatuor mensium spatio ad hostiles impetus sustinendos aptam reddiderit. Hæc inter quum Camerinum nuntiatum, Alexandrum XV. Kal. Septembris ex hac vita demigrasse; Perez, cujus rigor in dies augebatur, sibi metuens, urbe cessit, & in arcem Matelicæ se recepit. Id ubi Joannes Maria Julii Cæsaris filius, qui in Piceno versabatur, resciviit, Camerinum properavit, & Civium, populique consensu in Principatu confirmatur. Hic a Leone X. MDXIII. Ducis titulo insignitus, annis quinque & viginti in imperio exactis, extremum vitæ spiritum edidit, unica tantùm post se relicta filia ex Catharina Cibo uxore suscepta, Julia nomine, quæ patri in dominatu successit. Borgia ergo imperante nummus ævo hoc nostro rarissimus percussus est.

Argenteus secundus spectat ad Paullum III, qui post adeptum Pon-

Digitized by Google

Pontificatum ad occupandum Camerinum cogitationes suas omnes intendit, & re ex voto successa, nummum signavit, in cujus II.
prima facie inspicitur Pontificis stemma hisce characteribus circumseptum PAVLVS PaPa III. A tergo eminet Sancti Venantii Urbis Protectoris imago pectore tenus dexterà vexillum, sinistra Urbis typum sustinentis, addita inscriptione S. VENANTIVS CAMER. Atque ita se habuit res. Julia post mortem patris a Clemente VII. in principatu confirmata, nuptias cum Guidone Ubaldo Francisci Mariæ Urbini Ducis filio celebravit: quod quum Paulus III., qui Clementi successerat, ægrè ferret, armis ad grave gerendum bellum comparatis, Stephanum Columnam anno MDXXXVIII. ad oppugnandam urbem immisit. In tantis rerum angustiis Guidobaldus, qui post mortem patris sceptrum sumpserat, conscriptis turmis, extrema experiri primùm statuit, dein infortunia animadvertens, quæ sæpe ab incerto belli exitu solent contingere, aperto marte cum Pontificiis congredi non est ausus: officiosis demum verbis, ac precibus Alexandri Vitelli Florentinæ arcis Præfecti delinitus, ut se ab ira Pontificiis eximeret, ejus postulatis assensit. Hæ itaque inter Paullum & Urbinatem cessionis conditiones sancitæ; ut Allodialia bona in Juliæ potestatem remanerent, & Pontifex octo & septuaginta áureorum scutorum millia dotali jure numeraret, quibus persolutis ad Apostolicam sedem Camerinum devenit.

CASTRI.

IN anteriori primi argentei nummi fronte eminet Sancti Savini Episcopi Urbis Protectoris stantis imago, elevatà dexterà I.
ad benedicendum, sinistrà virgam pastoralem sustinentis, literis in orbe positis SANTVS SAVINVS. Dat postica tesserarium Farnesiæ gentis scutum, & epigraphen P. LOISIVS F. DVX CASTRI. I. *Petrus Aloysius Farnesius Dux Castri primus.*

Idem Sanctus Savinus, sed pectore tenus, inspicitur pariter in subsequenti argenteo nummo cum ejus nomine in circuitu. Aversæ partis medium occupat Principis stemma cum inscriptione ut supra. Alexander Cardinalis Farnesius anno MDXXXIV. II.
IV. Idus Octobris in Pontificem cum nomine Paulli III. ascitus,

sui

ſui ſub initium imperii ad decorandam honoribus, atque divitiis Familiam ſuam ſe dedit. Hoc eodem anno Alexandrum ex Petro Aloyſio filio natum in Purpuratorum collegium cooptavit, nec multo poſt ipſi Petro Aloyſio Caſtrum cum Ducis titulo in Feudum aſſignavit, eique Novariæ Marchionatum a Cæſare impetravit. Octavio quòque ejuſdem Cardinalis fratri Camerini Ducatum, & Nepetem fiduciario jure conceſſit anno MDXL. Aloyſio ergo imperante nummi ſignati. Qui plura de hoc Principe ſcire cupit, adeat poſtremam Diſſertationem pag. 69. & ſeq.

DECIANÆ.

DEciana vulgò *Deſana* agri Vercellenſis Vicus, quum propter militum incurſiones, & bellorum caſus, ejus ædes partim igne abſumptæ forent, partim ſolo æquatæ, & paucæ primæ ædificationis ſupereſſent; Theodorus Marchio Montisferrati deformatum locum in priſtinum cupiens reſtituere, reportato priùs Vercellenſis Senatus conſenſu Ludovico de Ticionibus Cancellario ſuo, & ejus hæredibus ac ſucceſſoribus tantùm Maſculis de agnatione Ticionum, excluſis ſemper fœminis, per ſollemnem donationem omne jus, plenamque juriſdictionem ejuſdem Vici cum onere reædificationis anno MCCCCXI. conceſſit. Loco ſui juris facto Ludovicus, domibus longè meliori ſtructura reſtitutis, atque non paucis noviter excitatis haud multos poſt annos ad nitorem inſignis Vici pervenit, ut complures finitimæ familiæ ædificiorum formà illectæ, propriis deſtitutis Domiciliis, huc ſedes ſuas cum fortunis aſportaverint. Officina quòque monetaria ibi extructa argenteos, æreoſque nummos cœpit obſignare,

I. quorum primus ex argento compactus oſtendit in anteriori facie gentilitium ejuſdem Principis ſcutum, verbis in gyrum poſitis LVD. TICIO DECI. CO. VIC. IMP. *Ludovicus Ticio Decianæ Comes Vicarius Imperialis*. A tergo eminet Sancti Petri ſedentis imago cum ejus nomine in circuitu, inferiùs binæ claves in decuſſim trajectæ.

In æreo ſecundo effictum cernimus Ticionum ſtemma, duo nempe titiones cancellatim diſpoſiti cum caſſide ſuperpoſita, ad-

II. dita epigraphe MONETA DECIENSIS. A tergo repræſentatur

Digitized by Google

tur Sancti Germani Episcopi sedentis imago elevata dextera ad benedicendum, sinistra Pastoralem virgam sustinentis, literis in orbe positis S. GERMANVS. Reliquos Decianæ nummos, qui in nostro Museo conspiciuntur, utpotè recentiores omisimus.

FANI.

QUamquam de hujusce urbis exordio nulla res certa afferri posse videatur, ex antiquioribus tamen fide dignis Scriptoribus evincitur manifestè, ante ortum Christi a Romano populo ad Adriatici maris litus fuisse conditam, & a nobilissimo Templo, cujus adhuc conspiciuntur vestigia, eo loci excitato, & Fortunæ consecrato Fani Fortunæ nomen sumpsisse (1). Cæterùm, ut sunt variæ temporum, ac mundi vicissitudines, sic urbi læta arrisit fortuna ad Gothorum usque in Italiam adventum, a quorum Rege Totila direpta, atque incendio deformata est. A Belisario deinde celeberrimo Justiniani Imperatoris Duce reædificata, & ad pristinum splendorem redacta iterum sub Imperii Jurisdictione esse cœpit. Anno verò DLXVIII. Longobardis in Italiam ingressis sub eorum jugo ingemuit, donec Pippinus Francorum Rex, devicto Aistulpho illius gentis Rege, Ravennæ Exarchatum Principi Apostolorum, ejusque successoribus dono concessit, quæ quidem donatio fuit inde a Carolo Magno ejus filio confirmata atque aucta. Variis deinde Principibus Fanenses paruère, inter quos maximè recensendi Malatestæ, qui quum aliquot Populos a fide Pontificis descitos armorum vi ad obedientiam revocassent, & præclara multa in bonum Ecclesiæ gessissent, ab Innocentio VI. pro Sede Apostolica Arimini, Pisauri, Fori Sempronii, & Fani Vicarii sub annuo censu sex millium Florenorum boni auri, & justi ponderis anno MCCCLV. renuntiati sunt. Divisis inter se urbibus, Ariminum Malatestæ *Guastafamiglia* nomenclaturà dicto, Fanum Galeotto ejus fratri, obvenère; in Malatestam Ungarum, & Pandulfum ex Malatesta *Guastafamiglia* natos Forosempronienses res, atque Pi-

(1) Hoc nomine fuit Urbs a Tacito appellata Lib. X.: Fanum simpliciter dixit Cæsar Lib. I.: Augustus verò ob Coloniam eò deductam, Coloniam juliam Fanestrem vocavit.

Digitized by Google

Piſaurenſes translatæ. Galeottus in principatu confirmatus grande ſibi nomen in armis fecit, ſuæque ditionis fines dilatavit; Cæſenam a Pontifice in Vicariatum reportavit, & Cerviam ſuo imperio ſubdidit. Ductà in matrimonium Gentile Rodulphi Varani Camerini Reguli filià, quatuor mares, & tres fœminas ex ea procreavit, Carolum nempe, Pandulfum, Andream, & Galeottum Novellum; Margaretam, Ringardam, & Gentilem. Deceſſit Galeottus Cæſenæ, ubi ſedem fixerat XII. Kal. Februarii MCCCLXXXV; & ne filii de imperio inter ſe diſceptarent, Fanum, & cæteras alias Civitates, quas hæreditario jure, aut proprio ſtudio acquiſierat, inter eos teſtamento diviſit, & ſuas unicuique portiones aſſignavit; Carolo Ariminum, Pandulpho Fanum, Andreæ Cæſenam, Galeotto Novello Cerviam; ad quas aliæ Urbes, Oppida, & loca acceſſere. Tres quòque Fœminæ egregiis Viris nupsère, Margareta Ludovico Gonzagæ Mantuæ Dynaſtæ, Ringarda Guid-Antonio Feltrio Urbini Comiti, & Gentilis Galeatio Manfredo Faventiæ Domino. Itaque Pandulphus, utì pater edixerat, Fanenſes res regendi munus ſuſcepit, eoque functo anno MCCCCXXVII. Carolus frater imperavit. Carolo biennio poſt ex humanis rebus ſubtracto, Fanenſis Principatus, ut ipſe teſtamento caverat ad Sigiſmundum ex Pandulpho natum devenit, ſub cujus imperio æreus, quem damus, nummus, utì ex Petro Amiano (1) egregio Fanenſium rerum ſcriptore delibavimus ſignatus eſt. Exhibet hic in anterioris frontis area Urbis nomen FANV, & in circulo FORTVNE. A tergo eminet Sancti Paterniani Urbis Epiſcopi ac Patroni principalis imago cum ejus nomine in orbe exarato. Ad annum uſque MCCCCLXII. Fanenſibus rebus præfuit Sigiſmundus, quo, ut diximus pag. 12., quum temerario auſu in Eccleſiam arma intuliſſet, a Pio II. tunc Summo Pontifice deturbatus eſt.

I.

(1) De Urbis initiis, rebuſque memorià dignis duo Volumina italicà lingua intexuit egregius ſcriptor, & typis edidit Fani anno MDCCLI; in quorum primo pag. 379. legitur, ex monetaria Fanenſi officina Quatrenos prodiiſſe anno MCCCCXXXV., quo quidem tempore urbanis rebus Sigiſmundus præerat.

FER-

Digitized by Google

FERRARIÆ.

IN antica parte primi aurei nummi, cujus pondus aureos duos Papales, vulgò *Zecchini*, non excedit, eminet vultus Principis hisce vocibus circumseptus HERCVLES DVX FERRARIAE II. Dat postica fabulosum Herculem Taurum jugulantem, & in exergo has figlas D. F. M., hoc est: *Deus fortitudo mea*. Borsio Ferrariæ Duce MCCCCLXXI. XIII. Kal. Septembris extincto, Hercules ejus frater, qui Ferrariensium animos sibi devinxerat, fuit omnium Ordinum votis & lætis populi acclamationibus Dux salutatus, maximo herclè Nicolai, ex Leonello (1) ejusdem Borsii fratre nati, ad Principatum adspirantis, mœrore, qui cum res suas in imum jam versas cognovisset, ad Ludovicum avunculum Mantuæ Marchionem se se receperat. Hercules in imperio confirmatus desiderio suscipiendæ prolis captus; nuptias cum Eleonora Ferdinandi Neapolis Regis filia, candidis moribus, & gratiâ summâ præstante virgine, celebravit. Quinto Nonas Julii MCCCCLXXIII. Sponsa maximo cum comitatu equitum, matronarumque Ferrariam ingressa publico plausu, lætitiaque excipitur; viæ constratæ floribus, parietes peripetasmatibus exornati; publica inde convivia, spectacula, choreæ, atque equestres ludi. Tertio a nuptiis anno, grave perdendi Principatum subiit Hercules discrimen: etenim Nicolaus, qui Mantuæ, ut superiùs innuimus, versabatur, dominandi libidine excitatus cum septingentis mercede conductis militibus, ac suis fautoribus consociatus Kal. Septembris Ferrariam ex improviso adoritur, excitatoque in urbe clamore ad publicum Forum advolavit. At res divino judicio non ex illius sententia, utì optabat, successit; etenim Cives summopere Herculi addicti, (qui prima luce nihil suspiciens ad Belriguardum deliciarum locum accesserat) tempestivè hostibus accurrentes facultatem omnem Civitate potiundi ademère. Ea spe Nicolaus dejectus, & populo se invisum agnoscens, imminens vitæ pe- I.

(1) Nupserat Leonellus anno MCCCCXXXV. Margaretæ Joannis Francisci Marchionis Mantuæ Filiæ, & Ludovici, qui post mortem patris sceptrum tenuit, sorori; & postero Nicolaus est ortus.

Digitized by Google

riculum evitare ſtudens, toto cum ſuo comitatu turpi fugæ ſe dedit, ſed a civibus, & ruſticis inſequuti per agros palantes aut interfecti, aut in captivitatem, inter quos Nicolaus, acti; Ferrariam inde deducti, Nicolaus capite plectitur, & ejus corpus in Eccleſia S. Franciſci funerum pompa ſepultum; nequiores digna pœna mulctati, cæteri libertate donati. Acerbiorem quòque calamitatem anno MCCCCLXXXII. perpeſſus eſt: etenim Veneti numeroſo coacto exercitu in Ferrarienſem ditionem populabundi penetrarunt, & nulli omnino rei, in quam ferrum, igniſque ſævire poterant, pepercere. Pace tandem biennio poſt conciliata, Hercules ad dilatandam, exornandamque novis ædificiis, ac templis Urbem totum ſe dedit; cumque ad annum MDV. vitam protraxiſſet, diuturno morbo preſſus VIII. Kal. Februarii fatis conceſſit, & ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ Angelorum a Nicolao patre fundatam, atque dotatam, ſepulturæ mandatur. Sex poſt ſe reliquit filios ex Eleonora ſuſceptos; Alphonſum nempe patri in Principatu ſucceſſorem, Ferdinandum (1), Hippolytum (2), Si-

(1) Ferdinandus, in lucem editus anno MCCCCLXXVII., adhuc puer armis ſe addixit, & caſtris Caroli VIII. Francorum Regis adhærens non ſine laude ſe geſſit. Poſt mortem patris in Alphonſum fratrem iratus, poſtero anno cum Julio fratre notho de eo perdendo verba facit. Nefariis eorum conſiliis ab Hippolyto Cardinali detectis ambo capite damnati, & ad locum ſupplicii deducti: Cæterum in Alphonſo quum fraternus prævaluiſſet amor, mortis pœna in perpetuum carcerem commutatur. Ad annum MDXL. in eo egit Ferdinandus, quo ex hac vita demigravit; Julius verò ab Alphonſo II., qui Herculi patri ſucceſſerat MDLIX., primis imperii diebus libertate donatur.

(2) Hippolytus octo tantum annos natus fuit a Mathia Corvino Ungariæ Rege MCCCCLXXXV. Strigonii Archiepiſcopus deſignatus, & ab Alexandro VI. octo poſt annos inter Cardinales cooptatus. Variis indè uno eodemque tempore præfuit Eccleſiis, Mediolanenſi nempe, Capuanæ, Ferrarienſi, & Mutinenſi. Fuit quòque in bellicis rebus edoctus, & ejus virtus eo in bello maximè enituit, quod inter Venetos, & Alphonſum gerebatur anno MDIX.; mira enim Purpurati arte hoſtium Claſſis, quæ per Padum vagabatur, in fugam verſa, atque profligata. Mortem obiit Ferrariæ MDXX. & ejus Cadaver in Æde majori ſepultum.

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

BONONIÆ

I

BRIXIÆ

I



II



CAMERINI

I

II



CASTRI

I

DECIANÆ.

II

I

III



FANI

I



FERRARIÆ

I

II

Digitized by Google

Sigismundum (1), Isabellam (2), & Beatricem sub initium anni MCCCCXCI. nuptui traditam Ludovico Sfortiæ, qui post excessum Nepotis fuit Mediolani Dux renuntiatus. Sex tantùm annos Beatrix cum eo vixit, nam uterum ferens plenum inter parturiendum unà cum fœtu edito periit, cum antea Maximilianum, & Franciscum peperisset, qui unus post alium Mediolanensem Ducatum tenuere, & in Francisco anno MDXXXV. Sforziana Mediolanensis stirps extincta est.

Protome Alphonsi inspicitur in aureo ejusdem ponderis subsequenti nummo, (3) addita inscriptione ALPHONSUS DUX FERRARIAE III., cujus adversa pars exhibet Pharisæum in actu II.
ostendendi Christo servatori nummisma census, hujusmodi cum epigraphe QVAE SVNT DEI DEO. Fuit Alfonsus toto fermè sui Principatus tempore fortunæ ludo jactatus, & tribus cum summis Pontificibus in ejus perniciem aspirantibus armis colluctatus est: quievit tandem post excessum Clementis VII. è vivis sublati VI. Kal. Octobris MDXXXIV.: at perbrevis illa fuit felicitas, gravem enim in morbum delapsus pridie Kal. Novembris extremum vitæ spiritum edidit, & ejus corpus in Ecclesia interiori Monialium Corporis Christi humatum, perorante celeberrimo Cælio Calcagnini Canonico Cathedralis. Tanti

(1) De hujusce Principis, in lucem proditi anno MCCCCLXXX., gestis, obituque, altum est apud celebrem Muratorium silentium: Ex nostris verò Historicis didicimus, e medio Ferrariæ excessisse MDXXIV. Hercule, & Gurono filiis superstitibus, & in intrinseca Ecclesia Monasterii Sancti Bernardini a Lucretia Borgia Alphonsi I. Ducis uxore fundati, sepultura honestatum.

(2) Isabella sexdecim annos nata pridie Idus Februarii MCCCCXC. Franciscum Marchionem Mantuæ matrimonio sibi copulavit. Hæc cum corporis formâ, tum pietate, & religione insignis popularem auram, atque famam sibi abundè conciliavit, ut videre est apud Mantuanos Scriptores, qui ejus præclara gesta, & animi dotes multa cum laude celebrarunt. Grata itaque Subditis, & meritis plena summo omnium dolore Idibus Februarii MDXXXIX. vitam posuit.

(3) Huic similem evulgavi in Libro, cui Titulus: *Delle Monete di Ferrara* pag. 191. edito Ferrariæ MDCCLXI., & in hoc tantùm differt, quod in eo vultus Principis barba obumbratus, in hocce verò imberbis apparet.

Digitized by Google

BONONIÆ

BRIXIÆ





CAMERINI





CASTRI



DECIANÆ

FANI

FERRARIÆ

Digitized by Google

Sigiſmundum (1), Iſabellam (2), & Beatricem ſub initium anni MCCCCXCI. nuptui traditam Ludovico Sfortiæ, qui poſt exceſſum Nepotis fuit Mediolani Dux renuntiatus. Sex tantùm annos Beatrix cum eo vixit, nam uterum ferens plenum inter parturiendum unà cum fœtu edito periit, cum antea Maximilianum, & Franciſcum peperiſſet, qui unus poſt alium Mediolanenſem Ducatum tenuere, & in Franciſco anno MDXXXV. Sforziana Mediolanenſis ſtirps extincta eſt.

Protome Alphonſi inſpicitur in aureo ejuſdem ponderis ſubſequenti nummo, (3) addita inſcriptione ALPHONSUS DUX FERRARIAE III., cujus adverſa pars exhibet Phariſeum in actu II.
oſtendendi Chriſto ſervatori nummiſma cenſus, hujuſmodi cum epigraphe QVAE SVNT DEI DEO. Fuit Alfonſus toto fermè ſui Principatus tempore fortunæ ludo jactatus, & tribus cum ſummis Pontificibus in ejus perniciem aſpirantibus armis colluctatus eſt: quievit tandem poſt exceſſum Clementis VII. è vivis ſublati VI. Kal. Octobris MDXXXIV.: at perbrevis illa fuit felicitas, gravem enim in morbum delapſus pridie Kal. Novembris extremum vitæ ſpiritum edidit, & ejus corpus in Eccleſia interiori Monialium Corporis Chriſti humatum, perorante celeberrimo Cœlio Calcagnini Canonico Cathedralis. Tanti

(1) De hujuſce Principis, in lucem proditi anno MCCCCLXXX., geſtis, obituque, altum eſt apud celebrem Muratorium ſilentium: Ex noſtris verò Hiſtoricis didicimus, e medio Ferrariæ exceſſiſſe MDXXIV. Hercule, & Gurono filiis ſuperſtitibus, & in intrinſeca Eccleſia Monaſterii Sancti Bernardini a Lucretia Borgia Alphonſi I. Ducis uxore fundati, ſepultura honeſtatum.

(2) Iſabella ſexdecim annos nata pridie Idus Februarii MCCCCXC. Franciſcum Marchionem Mantuæ matrimonio ſibi copulavit. Hæc cum corporis formâ, tum pietate, & religione inſignis popularem auram, atque famam ſibi abundè conciliavit, ut videre eſt apud Mantuanos Scriptores, qui ejus præclara geſta, & animi dotes multa cum laude celebrarunt. Grata itaque Subditis, & meritis plena ſummo omnium dolore Idibus Februarii MDXXXIX. vitam poſuit.

(3) Huic ſimilem evulgavi in Libro, cui Titulus: *Delle Monete di Ferrara* pag. 191. edito Ferrariæ MDCCLXI., & in hoc tantùm differt, quod in eo vultus Principis barba obumbratus, in hocce verò imberbis apparet.

Digitized by Google

Principis vitam latino fermone evulgavit Paullus Jovius Episcopus Nucerinus, quam postea Joannes Baptista Gellius in etruscum convertit.

FIRMI.

I. IN medio hujus ærei nummi insculpta apparet Crux affabre elaborata cum epigraphe in margine exarata DE FIRMO. Area adversæ partis detrita est; in ejus verò circulo hi characteres conspiciuntur SANTA MARia. Sacra Beatæ Virginis Domo Angelorum ministerio in agrum Picenum translata anno MCCXCIV; ejusdem Provinciæ populi Matrem Dei in Patronam elegerunt, eique sua munera obtulerunt, inter quos maximè enituit Firmanorum pietas, qui diversis temporibus tria argentea suæ urbis simulacra Virgini consecrarunt: neque mirum, si in suis monetis tantæ Patronæ nomen insculpserint.

GENUÆ.

I. IN anteriori primi argentei nummi fronte visitur Crux hisce vocibus circumsepta CONRADus REX ROManorum D. In posteriori ædificium turritum addita inscriptione P. C. DVX IANVensium XXVI.

II. In area secundi aurei nummi eminet Crux affabre elaborata sculptis per gyrum literis CONRADVS REX ROMANOrum AS. Aversæ partis circulus inscribitur DVX ET GVBERnator REIPVblicæ GENVEnsis; medium tegit consuetus symbolus; in exergo denotatur tempus, quo nummus fuit obsignatus, anno scilicet 1546. Hoc eodem anno præerat Reipublicæ Joannes Baptista de Fornariis in Ducem ascitus MDXLIV. vir genere clarus, summaque prudentia ornatus, qui biennio post laudabilis hujusce muneris confecto curriculo, quum esset perpetuus Procurator, & cum Gallorum Rege in damnum Reipublicæ sentiret, a Patribus carceribus demandatus, nec multo post in Belgium relegatus finem vitæ suæ confecit.

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

FIRMI

I
Æ



GENVÆ

I
AR



II
AV



LVCÆ

I
AR



II
AR



III
AR

IV
Æ



V
AR



VI
AR



VII
AV

VIII
AV

Digitized by Google

LUCÆ.

PRimus argenteus nummus oſtendit in anterioris frontis area duo TT colligata, cum duobus OO hinc inde diſpoſitis, nempe OTTO, ſuperiùs Aquilam expanſis alis, verbis in gyrum poſitis ROMANOR REX. A tergo eminet Domini noſtri Jeſu Chriſti effigies addita inſcriptione S. VVLTus De LVCA.(1) Spectat nummus ad Othonem IV., qui fuit ab Innocentio III. anno MCCIX. in Baſilica S. Petri Imperator inunctus & coronatus. Hunc mox fædifragum Romanæ Eccleſiæ Terras invadentem, omnemque Italiam hoſtiliter incurſantem anathemate ipſe percuſſit, & Imperio ſubmovit, in cujus locum Fridericus hujus nominis Secundus ex Henrico VI. natus, concurrentibus Germanorum Principum ſuffragiis ſuffectus. I.

Duo TT colligata inſpiciuntur pariter in area ſecundi argentei nummi ſub eodem Ottone ſignati. Adverſa pars eamdem exhibet imaginem hujuſmodi cum epigraphe S. VVLTVS DE LVCA. II.

Otto Romanorum Rex legitur pariter in circulo anterioris partis tertii ex infimo argento conflati nummi, cujus tota area a litera L occupatur urbis nomen indicante. Protome Chriſti inſignita eſt poſtica cum inſcriptione ut in antecedenti. III.

Eamdem literam L præfert quartus ex puro ære conflatus nummulus decem granos in pondere non excedens, in cujus limbo legitur OTTO IMPERATOR. Everſus typus Salvatoris illuſtratur immagine cum lemmate VVLTVS SANCTVS. IV.

Circulus anticæ partis quinti argentei nummi hiſce vocibus inſcribitur CAROLVs IMPERATOR, & in medio legitur urbis nomen ſemigothicis excalptum characteribus. Dat poſtica Chriſti effigiem, & epigraphen S. VVLTVS DE LVCA. Lucenſes in Piſanorum poteſtatem redacti, & a Carolo IV. anno MCCCLXVIII. in libertatem vindicati, Liberatoris ſui nomen in nummis inſcribere cœperunt, diuque continuarunt. V.

Tota antica pars ſexti argentei nummi ſimilis eſt antece-

den-

(1) Quis fuerit hujuſce Venerabilis Imaginis ſculptor, & quo tempore Lucam deportata, retulimus in poſtrema Diſſertatione pag. 34: Vera ne ſint, an fabuloſa, non ſatis liquet.

Digitized by Google

denti. Postica verò aliquantulum differt: ibi enim picta cerni-
VI. tur imago imperiali corona redimita hisce tantùm literis circumsepta SANCTVS VVLTVS.

Ejusdem Caroli Imperatoris nomen legitur pariter in pri-
VII. ma facie septimi aurei nummi, aureo Papali vulgo *Zecchino* in pondere correspondentis, in cujus summitate denotatur tempus, quo fuit obsignatus, anno scilicet 1552., & in medio insculptum apparet urbis stemma. Exhibet postica Salvatoris imaginem cum consueta epigraphe S. VVLTVS DE LVCA.

Aureus octavus in omnibus consonat cum antecedenti, si
VIII. annum excipias, quo a monetaria prodiit officina, qui fuit 1558. De variis hujusce urbis vicissitudinibus plura scripsi in secunda, & tertia Dissertatione. Has consulat avidus Lector.

MANTUÆ.

IMperio hanc Urbem diu tenuere Gonziaci, quorum primus Aloysius fuit, qui Bonacolsis expulsis anno MCCCXXVIII. communi populi consensu fuit in premium virtutis ad publicas res gubernandas electus, & ei Guido filius successit a Cæsare Vicarii titulo in Principatu confirmatus. Ex Guidone Ludovicus est ortus, ex Ludovico Franciscus, ex Francisco Joannes Franciscus ob ejus merita a Sigismundo Imperatore Marchionis titulo condecoratus anno MCCCXXXIII. Post Joannem Franciscum Ludovicus filius sceptrum tenuit, & hunc excepit Fridericus ex eo natus, sub cujus imperio ne nummus quidam cusus est. Friderico ex humanis rebus exempto anno MCCCCLXXXIV. ad id dignitatis fastigium evectus fuit Franciscus ejus major natu filius, cujus nomen legitur in circulo anterioris partis primi ærei nummi sedentem canem in area exhibentis hisce characteribus sic exaratum FR. MANTVE MR. IIII. *Franciscus*
I. *Marchio Mantuæ Quartus*. A tergo eminet sacra Pixis, in qua servantur tres guttæ Sanguinis, quæ è latere Christi, ut fertur, effluxerunt, cum epigraphe SANGVIN*is* XPI IHESV.

Secundus ex eodem metallo conflatus ostendit ejusdem Marchionis caput, verbis in orbe positis FRANCISCVS MR. MAN-
II. TVE IIII. Postica visendum præbet fusorium vasculum cum virgarum fasciculo ex eo prodeunte; verbis in gyrum positis

Do-

Digitized by Google

Domine PROBASTI ME ET COGNO*visti* ME. Fuit Franciſcus, ut alibi (1) innuimus, in bellicis rebus ſummopere edoctus, & multa cum laude pro Julio II., Venetis, & Cæſare militavit. Meritis tandem, & gloria plenus Mantuam ſe recepit, ibique IV. Kal. Aprilis MDXIX. curſum vitæ ſuæ confecit.

Franciſcus ſucceſſorem habuit Fridericum majorem natu filium, ſub quo tertius nummus percuſſus eſt. Eſt hic ex optimo auro conflatus, & in pondere duobus aureis Papalibus, vulgò *Zecchini*, correſpondet: demonſtrat in antica parte ejuſdem Principis caput, addita in limbo inſcriptione FEDERICVS *Marchio* MANTVAE IIII. In poſtica Olympum Montem, in cujus vertice hoc verbum FIDES. Is patris veſtigiis inhærens militiæ totum ſe dedit, & in juventutis flore fuit a Leone X. anno MDXXI. Pontificii Exercitus Capitaneus Generalis renuntiatus, quo in munere adeo fortiter ſe geſſit, ut primo imperii anno Parmam, & Placentiam a Gallicis armis occupatas ad Eccleſiam redegerit. III.

In quarto argenteo effictus eſt Marchionis vultus cum epigraphe FEDERICVS M. MANTV. V. Averſa pars illuſtratur imagine Sanctæ Catharinæ cum ejus nomine in circuitu. IV.

Quintus, & Sextus in omnibus conſonant cum antecedenti, dempta Characterum diſpoſitione, quæ in anticis partibus manifeſtè apparet. Tres hi nummi nonnullis forſan videbuntur non alii, nec diverſi ab illis, quos dedimus in ſecunda, & tertia Diſſertatione; verùm ſi quis hoſce ſex attentè contemplaverit, facilè ei patebit, ex diverſa matrice prodiiſſe. V. VI.

Friderici protome inſpicitur pariter in prima ſeptimi Ærei nummi fronte cum ejus nomine in circuitu. In averſa Olympus mons, uti in tertio. VII.

Æreus octavus dat ejuſdem Principis effigiem & inſcriptionem FE. DVX MAN. ET MAR. M. F. *Fridericus Dux Mantuæ, & Marchio Montis Ferrati*. Totam averſæ partis aream occupat hæc vox ΟΛΙΜΠΟΣ. Fridericus ob ejus merita, & egregias animi dotes a Carolo V. Ducis titulo condecoratus anno MDXXX., poſtero cum Margareta Paleologa Guilelmi Montis- VIII.

(1) Vide quæ de hoc inclyto Principe retulimus in prima Diſſertatione pagg. 57. 58., in ſecunda pag. 69., in poſtrema pag. 38.

Digitized by Google

tisferrati Marchionis filia nuptias fecit, & post obitum Joannis-Georgii ultimi ex Paleologorum familia, fuit ab ipso Cæsare in totius Monferratensis ditionis possessionem immissus MDXXXVI., quo tempore nummus percussus est.

Friderico anno MDXL. ex humanis rebus subtracto, Franciscus octennis major natu filius successit; urbánarum rerum curà Margaretæ Matri, & Herculi Cardinali patruo ob teneram ejus ætatem Patris testamento demandatà: cæterùm Mantuani in nummis pubertatis tempore percussis Principis tantùm nomen
IX. signarunt, ut evincitur in tribus subsequentibus; quorum primus æreus sub num. IX. expositus repræsentat in una parte juvenilem admodum Franciscì faciem cum lemmate FR. DVX. MAN. E. M. MO. *Franciscus Dux Mantuæ, & Marchio Montisferrati*; ab altera sacram Pixidem cum solita epigraphe SANGVINIS XPI IHESV.

Gentilitium Principis scutum exibetur in antica parte decimi argentei nummi, cujus nomen perhibent voces in margi-
X. ne exaratæ. In postica Sanctus Longinus genuflexus in actu porrigendi Divo Andreæ stanti sacram Pixidem cum circumducta inscriptione NIHIL ISTO TRISTE RECEPTO.

Ejusdem Ducis stemma visitur pariter in undecimo ex infimo argento conflato, cum ejus nomine in circuitu. A tergo sacra Pixis verbis in gyrum positis SANGVINIS XPI IHESV TA*Bernaculum*. De gestis, atque infausta hujus Principis morte,
XI. quæ evenit anno MDL; scripsi in postrema Dissertatione. Hanc consulat avidus lector.

Franciscì nummis succedunt a Guilelmo ejus fratre, & successore signati, quorum ne quidem unum in cæteris aliis nostris Exercitationibus protulimus; in hacce verò nonnullos ex iis dabimus, qui in uberrima nostra messe servantur, & illos tantùm in vetustate duo ad minus sæcula exsuperantes; quod facilè evinci potest; si ex Monetaria Officina prodierint antequam a Ferdinando II. Imperatore Montisferrati Ducis titulum ipse
XII. reportaverit, quod contigit anno MDLXXV. Itaque duodecimus argenteus demonstrat in anteriori fronte juvenilem Principis imaginem, verbis in orbe positis GVL. DVX. MAN. III. E. M. M. F., *Guilelmus Dux Mantuæ tertius, & Marchio Montis Ferrati*; in exergo designatur tempus, quo fuit cusus, an-

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

MANTVÆ

I Æ

II Æ



III R



IV R



V R



VI R



VII Æ



VIII Æ



IX Æ



X R

XI AR

XII Æ



XIII Æ

XIV Æ



Digitized by Google

anno ſcilicet 1550. Altera ex parte inſculptus apparet Angelus ſtans ambabus manibus Sacram Pixidem ſuſtinens, cum lemmate SANGVINIS XPI IHESV.

Decimus tertius argenteus in omnibus eſt ſimilis decimo, Ducis nomine excepto; & hujus pondus ſexaginta grana non excedit. XIII.

Quarto ſui principatus anno æreum decimum quartum pauculo argento mixtum cudere fecit Guilelmus, ejus vultum in area præferentem; circumſtat hæc inſcriptio GVLIELMVS DVX MAN. III. M. M. F. Averſa pars demonſtrat vaſculum, cui innititur Virgilii caput, verbis in orbe poſitis VIRGILIVS MARO MDLIIII. Alter omnino ſimilis in noſtro Musèo ſervatur, cum nota anni MDLV., cujus delineationem prætermiſimus; omiſimus quòque ad evitandam prolixitatem ſex alios nummos Poetæ imaginem in anterioribus partibus exhibentes, quorum primi duo certo certius ante Guilelmum prodiere, reliqui verò ejus ætatem non exſuperant. Horum primus habet in poſtica facie ſacram Pixidem cum lemmate SANGINis XPI IHESV. Secundus Cruciculam, & urbis nomen MANTVE. Tertius figuram muliebrem ſtantem, ſacram Pixidem ſuſtinentem, cum conſueta epigraphe. Quartus ex argento conflatus Solem. Quintus alatum Equum. Sextus verò Capreolum cum vitta circumvolante, in qua nonnulla literarum veſtigia conſpiciuntur. XIV.

In æreo ſubſequenti cernitur Ducis caput cum ejus nomine in circuitu. Ab altera parte nihil novum occurrit, exhibetur enim conſuetus maximè Mantuanis typus, ſacra nempe Pixis cum ſolita inſcriptione SANGVINIS XPI IHESV. XV.

Eidem Guilelmo adſcribitur æreus decimus ſextus oſtendens ex una parte Principis faciem, cum ejus nomine in circulo exarato; ex altera figuram Mulieris ſtantis, ſacram Pixidem dexterà ſuſtinentis, cum inſcriptione ut ſupra. Poſt exceſſum Franciſci, Guilelmus duodecim tantùm annos natus unà cum Matre Mantuanam Ditionem cœpit adminiſtrare, & anno MDLXI. VI. Kal. Maji Eleonoram Ferdinandi Imperatoris filiam matrimonio ſibi copulavit, quo tempore Mantuani in lætitiam effuſi varia ſpectacula edidere, circumvicinis populis ad ea turmatim confluentibus. Anno verò MDLXVI. Margareta matre, XVI.

Digitized by Google

MANTVÆ

I

Æ

II



Æ

III

R

IV



R

V



R

VI



R

VII



Æ

VIII

Æ

IX



Æ

X

R

XI

AR

XII



Æ

XIII

R

XIV



Æ

Digitized by Google

anno ſcilicet 1550. Altera ex parte inſculptus apparet Angelus ſtans ambabus manibus Sacram Pixidem ſuſtinens, cum lemmate SANGVINIS XPI IHESV.

Decimus tertius argenteus in omnibus eſt ſimilis decimo, Ducis nomine excepto; & hujus pondus ſexaginta grana non excedit. XIII.

Quarto ſui principatus anno æreum decimum quartum pauculo argento mixtum cudere fecit Guilelmus, ejus vultum in area præferentem; circumſtat hæc inſcriptio GVLIELMVS DVX MAN. III. M. M. F. Averſa pars demonſtrat vaſculum, cui innititur Virgilii caput, verbis in orbe poſitis VIRGILIVS MARO MDLIIII. Alter omnino ſimilis in noſtro Musèo ſervatur, cum nota anni MDLV., cujus delineationem prætermiſimus; omiſimus quòque ad evitandam prolixitatem ſex alios nummos Poetæ imaginem in anterioribus partibus exhibentes, quorum primi duo certo certius ante Guilelmum prodiere, reliqui verò ejus ætatem non exſuperant. Horum primus habet in poſtica facie ſacram Pixidem cum lemmate SANGINis XPI IHESV. Secundus Cruciculam, & urbis nomen MANTVE. Tertius figuram muliebrem ſtantem, ſacram Pixidem ſuſtinentem, cum conſueta epigraphe. Quartus ex argento conflatus Solem. Quintus alatum Equum. Sextus verò Capreolum cum vitta circumvolante, in qua nonnulla literarum veſtigia conſpiciuntur. XIV.

In æreo ſubſequenti cernitur Ducis caput cum ejus nomine in circuitu. Ab altera parte nihil novum occurrit, exhibetur enim conſuetus maximè Mantuanis typus, ſacra nempe Pixis cum ſolita inſcriptione SANGVINIS XPI IHESV. XV.

Eidem Guilelmo adſcribitur æreus decimus ſextus oſtendens ex una parte Principis faciem, cum ejus nomine in circulo exarato; ex altera figuram Mulieris ſtantis, ſacram Pixidem dexterà ſuſtinentis, cum inſcriptione ut ſupra. Poſt exceſſum Franciſci, Guilelmus duodecim tantùm annos natus unà cum Matre Mantuanam Ditionem cœpit adminiſtrare, & anno MDLXI. VI. Kal. Maji Eleonoram Ferdinandi Imperatoris filiam matrimonio ſibi copulavit, quo tempore Mantuani in lætitiam effuſi varia ſpectacula edidere, circumvicinis populis ad ea turmatim confluentibus. Anno verò MDLXVI. Margareta matre, XVI.

Digitized by Google

quæ ſumma cum auctoritate, ac ſubditorum plauſu Monferratenſes res moderabatur, fatis raptà; poſterò Guilelmus cum Uxore, ac liberis Caſalem ſe contulit, ubi maximum vitæ periculum ſubiit; etenim nonnulli Gonziacum imperium immeritò pertæſi, Olivario Capello auctore, in Ducem conſpirarunt, & totam ejus familiam deperdere cogitarunt. Inter hoſce itaque conventum, ut quiſque audito Triſagii ſonitu ad Cathedralem Eccleſiam concurreret, & Principem Sacrificio Miſſæ intereſſentem trucidarent. Evangelium jam recitabat Sacerdos, cum per nuncium commonefactus de inſidiis Guilelmus, impavidus ſtetit, neque vultum immutavit, ſed ſatis habuit, ut Campanarum præciſis funibus, aliquot illuc milites advocarentur. Sacrificio peracto in Arcem ſe recepit, & meritis pœnis temerarium Rebellium auſum compreſſit.

In anteriori decimi ſeptimi argentei nummi fronte extat
XVII. Ducis effigies, verbis in limbo poſitis GVLI. DVX MAN. III. ET M. M. F. In poſteriori Olympus Mons, in cujus ima parte legitur ΟΛΥΜΠΟΣ. in ſummitate FIDES.

Ad eumdem Principem pertinere decimum octavum ex in-
XVIII. fimo argento conflatum, docent verba in ejus margine notata, in cujus medio teſſeraria Gonziacæ familiæ icon apparet inſculpta. A tergo eminet ſacra Pixis (1) cum ſolita inſcriptione.

Aureus decimus nonus oſtendit Ducis ſtemma, cui ſuperemi-
XIX. net Sol (2), & ejus nomen in limbo exaratum. Viſitur in averſa parte Crux peregrinà formà elaborata, in cujus angulis hæ ſi-

(1) Hæc ſacra Ampulla maxima veneratione in Divi Andreæ Baſilica conſervatur: neque inutile heic addere putamus, in hujuſce Sacroſancti Sanguinis cultum Vincentium Mantuæ Ducem quartum Equitum Ordinem inſtituiſſe anno MDCVIII; quo quidem tempore Franciſcus ejus Filius Margaretam ex Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce natam ſibi deſponſavit.

(2) Sol eſt poſitus in ſummitate nummi ad indicandam auri bonitatem; ea enim tempeſtate diverſæ ſcutorum ſpecies cudebantur, & illa tantùm majori in pretio habebantur ſigno Solis notata: Plura exempla haberi poſſunt in mea Diſſertatione cum titulo = *Dell' antica Lira Ferrareſe di Marcheſini, detta volgarmente Marcheſana* =, ubi in contractibus ſæpiùs occurrunt ſcuta aurea a Sole, uti pretioſiora, deducta in pactum: hoc quòque evincitur ex Edictis Monetarum, in quibus illa a Sole majori valore taxata perpenduntur.

Digitized by Google

ſiglæ GV GV, quæ, meo videri, indicant Principis nomen bis repetitum, cum lemmate QVI NON COLLIGIT MECVM DISPERGIT.

Argenteus vigeſimus viſendum præbet gentilitium Principis ſcutum cum ejus nomine in circuitu. In oppoſita facie cernitur Sancti Longini (1) genuflexi imago, ſacram Pixidem Divo Andreæ ſtanti porrigentis, addita in gyro epigraphe NICHIL ISTO TRISTE RECEPTO. XX.

Eaſdem imagines tum in anticis, cum in poſticis demonſtrant duo ſubſequentes argentei nummi, differunt tamen in magnitudine, & pondere, etenim primus viginti grana, alter verò decem tantum exæquat. XXI.

Haud multum in corporis forma naturæ debuit Guilelmus, in animi verò dotibus, & in iis, quæ juſtum & religioſum Principem decent, ei fuit munifica: in eo illuxit ſumma in Deum pietas; quotidie enim prolixas de genibus preces evolvebat, Eccleſiaſticorum more Officium recitabat, ſacrificio Miſſæ intererat, & ſingulis diebus Dominicis, ac Feſtis ſolemnioribus Euchariſtico Pane ſe reficiebat. In Audientiis facilis cunctis patebat aditus, & ſupplices libellos porrigere licebat, nullàque perſonarum habita ratione, ſummæ, ac tenuis fortunæ viros in jus adductos ex æquo audiebat. Tanta quòque fuit æquitate, ut nullam unquam legem ſanciret, quin priùs eruditorum Juriſperitorum, quos maximo in pretio habebat, eoſque frequentibus donis, atque beneficiis fovebat, audiret ſententias. Publica Officia dignioribus conferebat, iiſque, ſi quid iniquè egiſſent, pœnas dabat. Academiis, & ſcientiis favebat, eruditoſque viros tantì fecit, ut nobili genere natis anteferret, eoſque muneribus, atque honoribus cumularet. Ad Subditos ſublevandos ſemper intentus, quæ ad victum neceſſaria videbantur, nunquam defuère, & in vectigalibus, atque tributis accipiendis, ne ab iis plus juſto exigeretur, proſpexit. In elargiendis eleemoſynis liberaliſſimus, ſæpius aliena manu Pauperes ſubveniebat, Virgines elocabat, Pupillis, & Viduis præſto erat, quæ quidem ſtudia in eo nunquam refrixerunt. XXII.

Ab antica parte vigeſimi tertii argentei nummi Principis

(1) De Sancto Longino ſatis diximus in poſtrema Diſſertatione pagg. 40. & 41.

Digitized by Google

XXIII. est tesserarium scutum cum adjecta inscriptione GVLIELMVS DVX MAN. III. ET M. M. F.. Cernitur in postica Sanctæ Barbaræ imago, dexterà Turri innixà, sinistrà Martyrii palmam tenens, cum ejus nomine in circuitu SANCTA BARBARA.

Principis insignia, & ejusdem Sanctæ figuram observamus
XXIV. pariter in subsequenti argenteo, epigraphes verò anterioris partis ex diversa matrice prodiisse satis indicat. Quum summam devotionem erga hanc Virginem religiosus Dux profiteretur, ejus imaginem in monetis cœpit obsignare; utque magis apud Mantuanum populum cultus adaugeretur, ad excitandum in ejus honorem magnificentissimum Templum animum adjecit. Anno ergo MDLXII. pridie Kalendas Majas posito ab ipso Duce, maximo cum populi concursu, primo lapide, tantam auri vim attulit, tantoque studio Joannes Baptista Bertanus Architectus opus acceleravit, ut, præter omnium expectationem, tertium post annum ad splendidissimam formam, & ecclesiasticis functionibus aptum reddiderit. Hanc itaque Basilicam a Friderico Cardinali ejus fratre solemni ritu consecratam pretiosa supellectili, ac sericis ornamentis ditavit; sacras Reliquias, quæ in Hostilia venerabantur, ad hanc asportari, & publicæ veneration exponi curavit; utque in Collegiatam erigeretur a Pio IV. impetravit. Itaque decrevit Pontifex, ut hujusce Ecclesiæ Ministri, quorum primarios insignibus voluit exornatos Privilegiis, ad Principis arbitrium in perpetuum eligerentur, ipsamque Ecclesiam ab Episcopi potestate exemit, & Apostolicæ Sedi subjecit, quamplurimisque Indulgentiis insignivit. Hisce impetratis, generosus & pius Princeps septem Dignitates in ea constituit, Abbatem nempe, Archipresbyterum, Archidiaconum, Præpositum, Decanum, Primicerium, atque Priorem: his adjunxit duodecim Canonicos numerarios, sex supranumerarios, quatuor Mansionarios, totidemque Capellanos, binos Cæremoniarum Magistros, Sacristam, Presbyteros, Clericosque non paucos, quorum inservientium numerus ad LXIV. ascendebat, eisque splendidam alimoniam assignavit. Neque hic liberalitatis, & munificentiæ suæ finis fuit: Ædes quòque Canonicales ultimo sui imperii anno cœpit ædificare, jecitque primum lapidem die vigesima quarta Februarii, quas postea Vincentius filius, ei in principatu successor, perfecit.

Res

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

TAB. VI. PAG. 37

MANTVÆ

XV



XVI



XVII

XVIII



XIX

XX

XXI

XXII



XXIII

XXIV

XXV



XXVI



Digitized by Google

Res ipsa loquitur, vigesimum quinctum æreum in honorem Sanctæ Barbaræ fuisse obsignatum; in eo enim ex una parte inspicitur Guilelmi vultus aliquantulum barbatus cum ejus nomine in limbo exarato. Ex altera se se offert Sancta Barbara dexterà palmam, lævà turrim sustinens cum epigraphe, ut supra. XXV.

Eadem Principis facies exhibetur in postremo argenteo, in cujus aversa parte insculpta apparet Salamandra cum lemmate QVOD HVC DEEST ME TORQVET. Ob tot superiùs enuntiatas Guilelmi animi dotes Mantua in summa tranquillitate, atque diuturno otio quum esset; ecce flebilis casus accessit anno MDLXXXVII., qui Civium animos vehementer perturbavit; etenim Dux quum ad effugiendam aeris intemperiem Medicorum consilio Goitum se contulisset, paucos post dies in febrim incidit, qua ingravescente, ubi fatalem diem adventare cognovit, Sacramentis rite susceptis XIX. Kal. Septembris ex hac vita demigravit. Corpus Mantuam delatum, maximà populi catervà, non sine mœrore, ac lacrymis comitante, in Ecclesia Sanctæ Barbaræ deponitur, & ante aram maximam humatur. Tres post se reliquit filios ex Eleonora uxore procreatos, Vincentium scilicet ei in Principatu Successorem: Margaretam Alphonso II. Ferrariæ Ducì nuptui traditam, quæ post mortem mariti Mantuam remeavit, ibique anno MDCXVIII. VI. Idus Januarii finem vitæ suæ confecit, & ejus corpus in Ecclesia Monasterii S. Ursulæ ab ipsa fundati, & dotati sepulturæ demandatur: & Annam Catharinam Ferdinando Archiduci Austriæ, qui summo cum imperio Tirolensi Provinciæ præerat, desponsatam. XXVI.

MASSÆ LOMBARDORUM.

EXimius hic ex optimo argento conflatus nummus exhibet in anteriori fronte Marchionis Francisci imaginem literis in gyrum positis FRANCISCVS ESTENSIS. A tergo insculpta apparet Aquila expansis alis, antiquum Estensis gentis stemma, cum hac inscriptione MAR*chio* MASSE LOMBARDOR*um*. Franciscus ex Alphonso Ferrariæ Duce tertio, & Lucretia Borgia ejus uxore anno MDXVI. natus, post mortem patris, ut ipse testamento caverat, Massæ Lombardorum agri Ferrarienses I.

Op-

Digitized by Google

Oppidi iniit principatum. Nuptiis anno MDXXXVII. cum Maria Cardona humanis literis, pluribusque virtutibus expolita, cui Marchionatus Padullæ, & Avellini Comitatus hæreditario jure obvenerant, celebratis; desiderio acquirendi ex bello gloriam captus in Germaniam perrexit, & in castris Caroli V. Imperatoris summa cum laude militavit. Post multa præclarè gesta, ut quieti suæ consuleret, Ferrariam revertitur, ibique anno MDLXXVII. die vigesima tertia Februarii ex hac vita demigravit; ejus corpus, ut edixerat, Massam delatum in Ecclesia Sancti Paulli a se condita tumulatur. Duas post se reliquit filias ex contubernio susceptas, Marphisam nempe, & Bradamantem; hæc Comitem Herculem Bevilaquam conjugio sibi devinxit; illa verò specie ac pulchritudine insignis eodem anno, ut jussa patris perficeret, Alphonsum ex Alphonso Lauræ Eustochiæ filio procreatum consortem sui thori fecit, & eo tertium post mensem functo, novas nuptias cum Alderano Cibo Massæ Carrariæ Principe anno MDLXXX. celebravit.

MEDIOLANI.

IN primo argenteo nummo repræsentatur tortuosus serpens e faucibus puerulum evomens, antiquum Vicecomitum stemma,
I. quod inde Sfortiana gens sibi adjudicavit, verbis in orbe positis F. S. DVX MLI ANGL. PPIEQ. *Franciscus Sfortia Dux Mediolani, Angleriæ, Papiæque.* Dat postica Crucem, & epigraphen CO*mes* AC CREMONE DNS *Dominus*. Post excessum Philippi Mariæ Mediolani Ducis ultimi de Familia Vicecomitum, qui per duo fermè sæcula Mediolanensem Principatum tenuere, grave inter diversos Principes ad hæreditatem aspirantes bellum exarsit: Prævalentibus tandem armis Francisci Sfortiæ ex Attendula familia Cottignolæ agri Ferrarienſis oppidi nati, qui Blancam Mariam defuncti Ducis filiam notham sibi matrimonio junxerat, & Cremonam in dotem reportaverat, Mediolanensem ditionem anno MCCCCL. suo subjecit imperio, & a Populo Dux salutatus est, & nummus cusus. De hoc inclyto Duce consulendus est Joannes Simoneta, qui uno volumine ejus præclara gesta intexuit, & ego in aliis meis elucubrationibus non pauca retuli.

Galeatio Maria Mediolani Duce, qui Francisco patri in Do-

Digitized by Google

Dominatu ſucceſſerat, a conſpiratoribus ob ejus nefanda geſta in templo Divi Stephani cæſo, anno MCCCCLXXVI. Joannes Galeatius filius octennis unà cum Bona matre ex Ludovico Duce Sabaudiæ nata, eximiæ prudentiæ fœmina, principatum adminiſtrare perrexit, cujus ſub initium imperii ſecundus ſummæ præſtantiæ aureus nummus (1) cuſus eſt. In ejus prima fronte inſculptam cernimus juvenis Principis pileatum caput hiſce vocibus circumſeptum IO. G3. M. SF. VICECO. DVX MLI. SX. *Joannes Galeatius Maria Sforzia Vicecomes Dux Mediolani Sextus.* Habet poſtica Principis ſtemma, & inſcriptionem PP. ANGLEQ3. COS. 3 C *Papiæ Angleriæque Comes, & cætera.* Ad annum uſque MCCCCLXXIX. Bona tutricis nomine in Principatu ſe geſſit, quo quidem tempore Ludovicus Ducis patruus, cui Maurus cognomentum fuit, ſcintillas cupiditatis imperii, quas ſub cineribus tegebat, detegens, & ventilans, callidâ arte Matre a filii tutela remota, ſemet tutorem inſtituit, & ad arbitrium cœpit res moderari; qua indignitate perculſa Mulier proximo anno urbe ſe abdicavit, & Vercellas primùm, deinde Albiatum, ubi Domicilium fixit, ſe recepit. Hic rerum ſtatus Mediolani quum eſſet, & Maurus humanis, ac divinis contemptis legibus cuncta ex placito adminiſtraret: Joannes Galeatius unum & vigeſimum annum agens Iſabellam, ex Alphonſo Ferdinandi Neapo- II.

(1) Hunc nummum duobus aureis Romanis, vulgo *Zecchini* in pondere æquipollentem ante nos produxit Muratorius ſub num. XXII; ſed vitio artificis nec benè inciſum, nec in totis ſuis partibus perfectum; & primùm quidem inſculpſit Principis vultum, cujus delineamenta parum ad ejus ætatem commenſuravit, ſed majori, quàm conveniebat, oneravit; etenim ipſius forma triginta ſaltem annorum virum indicat, cum conſtet ad ſummum undecimum tantùm annum attigiſſe, & non ultra annum MCCCCLXXIX: nummum fuiſſe obſignatum, hoc enim anno Ludovicus patruus Ducatus cura Gubernatoris titulo ſuſcepta, nummos deinceps ſuo & Ducis nomine inſcriptos cudere cœpit. Præterquàmquod ſi Ducis ſtemma perpendamus, certè quidem cum noſtro non cohereſcit, & plura in eo ornamenta deſiderantur. Hunc quòque nummum evulgavit Carlorubeus, ſed in omnibus non convenit cum originali; ideoque repræſentandum iterum duximus, ut comparatione cum illis facta, diſcrimen, quod intercedit, obſervetur, & de ejus exacta celatura hujuſce ſcientiæ cultores certi reddantur.

Digitized by Google

polis Regis primogenito natam, sibi uxorem accepit (1) ea innixus spe, ut soceri armis adjutus temerarii patrui ausum compesceret: at res non, ut sperabat, successit; etenim Ludovicus cum cognovisset, Aragonios pro Nepote arma parare, Carolum VIII. Francorum Regem, qui ad Neapolitanum Regnum adspirabat, in eos concitavit, utque suæ dominandi libidini, moræ impatiens, meliùs, & citiùs satisfaceret, tabificum venenum Nepoti propinavit, quo sensim consumptus anno MCCCCXCIV. XI. Kal. Novembris è vivis excessit.

III. Tertius aureus nummus (2) superiori in pondere correspondens demonstrat in area primæ frontis Principis vultum, & in circuli summitate exiguum Sancti Ambrosii mitratum caput, subsequentibus vocibus LVDOVICVS M*aria* SF*ortia* ANGLVS DVX M*edio*La*n*I. A tergo ipsum Principem currenti equo insidentem, addita inscriptione PP. ANGLE. Q3. CO. AC IANUE. D. 3. C. *Papiæ, Angleriæque Comes, ac Januæ Dominus & cætera*. Post mortem Nepotis Maurus maxima pecuniæ vi a Maximiliano Imperatore Diplomate impetrato, ornamenta, & Ducis titulum suscepit: at in malè parto imperio, Deo sic permittente, haud diu, ut dicemus in sequenti nummo, versatus est.

IV. In aureo quarto ejusdem ponderis inspicitur Ludovici Francorum Regis caput cum hac inscriptione LVDOVICVS D*ei* G*ratia* FRANCOR. REX. Aversa pars ostentat Sanctum Ambrosium cum scutica currenti equo insidentem, & Regis stemma in exergo, addita in orbe epigraphe DVX MEDIOLANI. Conspicuus hic nummus eo tempore percussus fuit, quo Ludovi-

(1) Ex hoc matrimonio bini filii prodière Franciscus nempè, & Bona. Franciscus a Ludovico XII. in Galliam deductus, Religiosum habitum induit, & in Monasterio extra spem paterni imperii vitæ suæ cursum confecit; Bona verò meliora fata sortita est; etenim, quum ad perfectam perveniisset ætatem, cum Sigismundo I. Poloniæ Rege nuptias fecit. Utque aliquid de Isabella eorum matre proferam, hæc, Mediolanensi ditione a Gallis occupata, Barium dotali jure sibi debitum se recepit, ibique MDXXIV. supremum vitæ diem explevit.

(2) Hic quòque nummus habetur apud Muratorium sub num. XLVII.: verum quum noster cum eo comparatus aliquam varietatem præseferat, iterum evulgare, & majori diligentia expressum exponere curavimus.

Digitized by Google

vicus Francorum Rex, Ludovico Sfortia armis ſuperato, & Gallicis carceribus, in quibus exceſſit, demandato, Mediolanenſem Ducatum ſui juris fecit: Quod quum Julius II. & Cæſar ægrè ferrent, inito inter ſe fœdere, in Gallos inſurrexerunt, & poſt varios belli caſus anno MDXII. ad proprios lares remeare coegerunt.

Argenteus quinctus exhibet in anterioris partis circuli ſummitate exiguum Sancti Ambroſii caput ſubſequentibus vocibus V.
KROLVS ROMANOR. IMPERATOR. Totam poſticam implet Aquila biceps expanſis alis, in cujus pectore ejuſdem Caroli inſignia conſpiciuntur, abſque ulla inſcriptione. Gallis ex Italia deturbatis, Maximilianus Sfortia Ludovici jam functi major natu filius in paternum Solium reſtituitur, at perbrevis ejus fuit principatus; etenim Franciſcus Valeſius, qui emortuo Ludovico anno MDXV. in Gallico Regno ſucceſſerat, eodem anno in Italiam cum multo milite deſcenſus Mediolanum, & ejus Arcem cœpit deditione; miſſo in Galliam captivo Maximiliano, qui anno MDXXX. Lutetiæ è vivis exceſſit. Reſtabat Franciſcus ejus frater, quem Carolus Imperator ad Pontificis, & variorum Principum preces in Mediolanenſi Ducatu confirmavit, data ei in Uxorem anno MDXXXIV. Chriſtierna Chriſtierni Regis Daniæ, & Elizabethæ ſororis ſuæ filia, qui quum licentiùs deliciis novæ nuptæ indulgeret, mortem ſibi acceleravit, & proximo anno ex hac vita demigravit. Sfortiana in Franciſco extincta ſtirpe, Carolus Imperator Mediolanenſem Ducatum, utì Imperio devolutum, ſibi adjudicavit, quo tempore a Civibus in ejus obſequium nummus obſignatus eſt.

Spectat æreus ſextus ad Philippum Caroli Imperatoris filium, VI.
cui pater Mediolanenſem Ducatum anno MDXL. in Feudum aſſignavit. In ejus primæ frontis area legitur ejus nomen tribus tantum conſcriptum literis PHI. cum corona ſuperpoſita, & in circulo REX ANGLIAE. A tergo eminet Sancti Epiſcopi imago pectore tenus, literis hinc inde diſpoſitis S. A. *Sanctus Ambroſius*, addita in orbe epigraphe MEDIOLANI DVX. Hujuſce nummi ſubſidio manifeſtè evincitur Philippum in Regem Anglorum aliquando fuiſſe adſcitum; quo autem tempore, quave de cauſa brevi calamo inferiùs perſtringam, quum priùs nonnulla, ut magis res eluceſcat, ſcitu digna ſint præmittenda.

Digitized by Google

Henricus VIII. Anglorum Rex Catharina Caroli V. Imperatoris Matertera (1) ſibi deſponſata, & filia, Maria nomine, ex ea ſuſcepta, adeò progreſſu temporis fuit Annæ Bolenæ eximiæ formæ virginis illecebris irretitus, ut a Clemente VII. per nuncios enixè petierit, ſuum cum Catharina conjugium irritum declarari. At Pontifex quum ejus votis, conſultis Theologis, fortiter ſemper obſtitiſſet, Rex inſano furore accenſus, atque impotenti inſtructus conſilio, repudiata uxore, regiaque expulſa, inceſtuoſas nuptias cum amaſia fœtu onuſta (2) ſollemni pompa celebravit: Catholica inde Religione, quam antea defenderat (3), deſpecta, coacto Londini Conciliabulo, ſe Eccleſiæ Anglicanæ Caput declaravit, ſibi annatas, & Decimas ſolvi juſſit, & ſævam, præſertim in Clerum, & Eccleſias, perſecutionem (4) ex-

(1) Ex Ferdinando, & Elizabetha Catholicis Regibus binæ filiæ prodiere, Joanna ſcilicet, & Catharina. Joanna Philippo Archiduci Auſtriæ nupta Carolum peperit, qui fuit anno MDXIX. Imperator renuntiatus. Catharina verò minor natu Henricum Angliæ Regem conſortem ſui thori fecit.

(2) Poſt quintum ab infandis nuptiis menſem Bolena in lucem edidit Elizabetham, quæ poſt Mariæ exceſſum fuit Anglorum Regina ſalutata. Hæc hæreſi infecta liberam ſubditis permiſit Religionem, & in Orthodoxos perſecutionem renovavit.

(3) Quum Lutherus Leonis X. temporibus contra Indulgentias primùm debacchari cœpiſſet; Henricus in Hereſiarcham calamo inſurrexit, & inſanos ejus errores luculento opere impugnavit: quo facto commotus Pontifex ſpecioſo Defenſoris Fidei titulo Regem condecoravit anno MDXXI., & ejus legentibus librum decem annorum, & decem quadragenarum Indulgentiam conceſſit.

(4) Henricus ſpretis Catholicæ Religionis legibus, atque in omnes ejus cultores capitali ſententiâ latâ, non paucos ſummæ doctrinæ, atque probitatis viros novis Comitiorum Decretis ſubſcribere renuentes ultimo ſupplicio affecit; inter quos maximè recenſendi Thomas Morus Regni Cancellarius, & Joannes Cardinalis Friſcherius Epiſcopus Roffenſis, qui poſt multas in carceribus paſſas calamitates capite plexi ſunt. Quamplurimis Monachis vario ſupplicii genere enecatis, & eorum bonis in Fiſcum redactis, Eccleſiarum quòque aurea, argenteaque vaſa, earumque pretioſa ornamenta ſibi vindicavit. Neque hiſce contentus in Sanctos inſævire eſt auſus, præcipuèque in Divum Thomam Cantaurienſem Præſulem, cujus oſſa ſepulchro eruta, & cremata, cineres ad ventum ſparſi.

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

MASSÆ LOMBARDORVM

MEDIOLANI



MIRANDVLÆ

Digitized by Google

excitavit. Henrico anno MDXLVII. V. Kal. Februarii fatis rapto, Odoardus filius ſucceſſit, & hunc ſextum poſt annum functum Maria ex Catharina nata excepit, quæ quum Catholicam profiteretur Religionem, a Religione tamquam fundamento auſpicium ſibi ſumendum duxit. Primùm itaque capitis Anglicanæ Eccleſiæ relicto titulo, ablatos Eccleſiæ proventus, quos pater, & Odoardus frater in Fiſcum retulerant, planè reſtituit; Catholicos Sacerdotes vacantibus Eccleſiis propoſuit, & eos in ſchiſmate creatos, ſi ad bonam frugem redirent, confirmavit; Miſſæ Sacrificium, Confeſſionem, Communionem, atque omnia ſacra ſollemnia diu intermiſſa repetiit. Proximo inde anno, qui fuit quingenteſimus quinquageſimus quartus ſupra milleſimum VIII. Kal. Sextilis Maria Philippum Mediolani Ducem matrimonio ſibi junxit, & unà ſimul ad promovendam Catholicam Religionem, atque Monarchiam ſtabiliendam ſe ſe dederunt, nec vanæ eorum curæ fuere. Quum hoc in ſtatu res eſſent, & Angliam totam Romanæ Eccleſiæ reconciliare maxima ſpes effulgeret; Regina gravi hydrope correpta, & a fallacibus Medicorum vaticiniis, qui eam utero gravem decantabant, illuſa, ærumnoſa morte vitam clauſit XV. Kal. Decembris MDLVIII. ætatis ſuæ XLIII., quo tempore, utì in pactis matrimonialibus (1) convenerant, Philippus Regis titulum dimiſit, & ad ſua reverſus eſt.

MIRANDULÆ.

MIrandulanos nummos publicaturi, illos tantùm dabimus, qui Ludovici II. temporibus ex Monetaria officina prodiere; etenim cum conſtet, hunc Principem non ultra annum MDLXXIV. vitæ curſum peregiſſe, jurè & meritò aſſeverare poſſumus, ejus nomine inſcriptos duo ſæcula ad minus in vetuſtate ſuperare, & ideo non prætermittendos fore duximus. Harum ergo I.

(1) Inter Conjugii pacta hoc recenſebatur: ut nullum Philippo jus in Regnum remaneret, ſed intactum Anglis relinqueretur, ſi Regina prior ſine liberis vità decederet; ſin verò Philippum mors præriperet, Mariæ ſuperſtiti Dotis nomine LX. nummorum millia quotannis numerarentur.

Digitized by Google

primus aureus est, ostenditque ex una parte tessèrarium Principis scutum, verbis in orbe positis LVDOVICVS P. II. MIR. CON. Q. DNS *Ludovicus Picus Mirandulæ, Concordiæque Dominus*: ex altera Crucem affabrè elaboratam, & inscriptionem IN TE DOMINE CONFIDO. Galetto II. XII. Kal. Decembris MDL. è vivis sublato, Ludovicus ejus filius, qui in aula Henrici II. Francorum Regis versabatur, Mirandulam advolavit, & a Populo in lætitiam effuso fidelitatis sacramentum excepit. Sui sub initium imperii graves calamitates tota Mirandulana ditio perpessa est: etenim Julius III. Caroli V. Imperatoris armis fretus, quum Octavium Farnesium Parmæ Ducem, qui inconsultò gallico accepto præsidio Henrici patrocinio se dederat, deturbare niteretur; Rex ad retardandos Pontificis conatus Mirandulam suis armis communivit, & Ludovici, suæ parti addicti, virtuti, ac fidei commendavit. Itaque, quum gravi obsidione a Cæsareis Parma premeretur, Pontifex coacto exercitu, in quo novem millia peditum, & sexcenti equites recensebantur, ejus curam Joanni Baptistæ ex fratre nepoti, & Alexandro Vitelli militia claro concredidit. Hi tertio Nonas Quintilis MDLI. in Mirandulanum agrum ingressi, pagis direptis, incensisque, urbem summa vi obsidere cœperunt, & fossis, ac vallis, ad sustinendos Hostium insultus, castra circumsepserunt. Tanta copiarum moles inconcussos obsessorum animos nihil infirmavit, sed crebriùs in Pontificios erumpentes, victores fermè semper, & spoliis onusti in Urbem recedebant, quibus malis Pontifex, quem enormitas sumptuum angebat, commotus, & spe potiundæ urbis destitutus, proximo anno ad studia pacis se convertit; cumque ei nuntiatum nepotem die XIV. Aprilis in quadam velitatione cecidisse; gravi animi perturbatione perculsus die XXIX. ejusdem mensis Pacis conditiones firmavit, quo tempore discordiarum incendium extinctum, & a bello cessatum. Ex epigraphe nummi conjici potest, obsidionis tempore fuisse obsignatum; tunc enim in Deo primam, maximamque victoriæ spem Ludovicus, Præsidiariique reposuerant.

II. Secundus ex eodem metallo conflatus in omnibus consonat cum antecedenti; a diversa tamen matrice prodisse, nemo est, qui non videat.

Hoc eodem tempore argenteum tertium fuisse cusum existima-

mamus, in cujus prima facie visitur stemma Principis cum e- III.
jus nomine in circuitu: in posteriori insculptum apparet Tro-
phæum militare, cum duobus ramis olivarum, pacis nempe, &
belli symbola, cum lemmate ELIGITE.

Ejusdem Ludovici nomen, & Gentilitium scutum inspiciun-
tur pariter in prima quarti nummi parte; in cujus oppositа IV.
Sanctum Possidonium urbis Patronum in sela sedentem elevata
dextera in actu benedicendi, sinistra baculum pastoralem sustì-
nentem Mirandulani pinxerunt, cum notis S. POSSIDONIVS
MIR*andulæ* EPI*scopus*. Multùm a vero aberravit Sculptor in de-
signando Sanctum Possidonium Episcopum Mirandulæ, quum
ipse sit tantùm Protector: constat enim, urbem nunquam fuisse
Episcopali dignitate insignitam.

Argenteus quinctus perhibet in antica parte iconem scutariam,
& inscriptionem, ut in antecedenti. In adversa mulierem stantem V.
utraque manu Cornu-copiæ sustinentem, verbis in gyrum posi-
tis; SIC FECIT ME QVI POTENS EST.

Qui sub numero VI. inspicitur ex infimo argento compactus VI.
nummus demonstrat Principis vultum barba obumbratum, cu-
jus nomen dant verba in circuitu exarata. A tergo cerni-
tur Fama dexterà Stellam, sinistrà Tubam sustinens hisce voci-
bus circumsepta: LVMEN CLARIVS RVMORE.

Easdem imagines, atque inscriptiones præfert argenteus sub-
sequens tum in antica cum in postica, & tantùm ab eo dif- VII.
fert, quod in hocce notatur annus suæ percussionis, qui fuit
1553.

Agnoscitur rursus in octavo ex infimo argento conflato Prin- VIII.
cipis vultus cum ejus nomine in limbo conscripto. In aversa
parte insculpta apparet Sphæra Armilaris cum inscriptione, ali-
quantulum detrita, quam sic lego QVOD*cumque* SORS RE-
VOL*vat* AXIS ERO.

En iterum Ludovici nomen in margine noni argentei nummi IX.
exaratum, in cujus medio gentilitia parmula conspicitur. Tota
postica pars ab hisce verbis occupatur: SI TOT PRO NOBIS
QVIS CONTRA NOS.

Nihil novi occurrit in æreo decimo, in omnibus enim con- X.
venit cum tertio, utì ex ejus icone manifeste evincitur.

Repræsentantur in æreo undecimo ejusdem Principis insi- XI.
gnia,

Digitized by Google

gnia, & nomen. A tergo ſtat Gallus gallinaceus caduceo inſidens abſque ulla epigraphe.

Idem Gallus gallinaceus inſpicitur pariter in æreo poſtremo, cujus poſticam implet Ludovici nomen. Pace inter belligeran-
XII. tes parta, Mirandulanæ res tanti Principis ſtudio refloreſcere cœperunt. Anno verò MDLV. IV. Kal. Decembris Renata ejus prima uxore e vivis rapta, Fulviam Hippolyti Corrigii Comitis filiam ſextum poſt annum Conjugio ſibi devinxit, & hoc itidem anno Turrim Horologii, quæ viſitur, a fundamentis excitavit, addita marmorea inſcriptione ad perennandam ſui conditoris memoriam, quæ ſic ſe habet : LVDOVICVS PICVS II. MIRANDVLÆ CONCORDIÆQVE DOMINVS EREXIT. ANNO SALVTIS MDLXI. Ad ampliandam inde urbem converſus novam viam ſtravit ab incolis Cappucinorum dictam, & tribus propugnaculis, ac foſſis ejus ambitum munivit, juſto quòque numero Tormentorum parato, & copioſo Armentario. Dum ergo in exornanda urbe ſummo ſtudio Ludovicus enitebatur, nonnulli, Galeotto Pedocca auctore, anno MDLXVIII. eum de medio tollere cogitarunt. Re palam facta, ſceleſtiores V. Idus Novembris capite plexi, aut furcis ſuſpenſi, alii ad Triremes damnati, cæteri exilio mulctati ſunt. Ad annum uſque MDLXXIV. imperium tenuit Ludovicus, quo gravem in morbum delapſus XV. Kal. Decembris vitam poſuit, & ejus corpus ad Sanctum Franciſcum ſepulturæ demandatum. Quinque ei filii ſuperſtites fuere, Hippolyta nempe ex prima uxore; Renata, Galeottus, Fridericus, & Alexander ex ſecunda procreati. Patri Fridericus ſuffectus (Galeottus enim major natu comitiali morbo preſſus ſponte Principatu ſe abdicavit), qui anno MDXCIV. Junio menſe ducta in uxorem Hippolyta Alphonſi Eſtenſis filia ex Alphonſo Ferrariæ Duce III. nati, nulla relicta prole, in juventutis flore anno MDCII. evanuit. Hunc excepit Alexander frater, cui Cæſar Dux Mutinæ Lauram filiam nuptum dedit. Hæc enixa eſt Galeottum III., qui tertium & vigeſimum annum agens, Mariâ ex Carolo Cibo Maſſæ Principe natâ in uxorem acceptâ, filium, Alexandrum nomine, ex ea ſuſtulit. Alexander a Ferdinando II. Imperatore ob præclaras animi dotes anno MDCXIX. Ducis titulo inſignitus extremum vitæ ſpiritum edidit MDCXXXVII., & ei Alexander II. ſexennis

Digitized by Google

nis (Galeottus enim ante patrem obierat) ſucceſſit, cujus thalamum Anna Beatrix Alphonſi III. Mutinæ Ducis filia condecoravit anno MDCLVI. Hæc ei peperit Franciſcum in vita patris ſublatum, quum antea ex Anna Camilla Uxore, Joannis Burgheſii Sulmonæ Principis filia, Franciſcum Mariam anno MDCLXXXVIII. ſuſcepiſſet, qui poſt Alexandrum MDCXCI., e vivis ſublatum, ſub Birgittæ tutela Alexandri II. ſororis rerum ſummam adminiſtrare perrexit: & hic ultimus ex Gente Pica Mirandulanus Dux fuit. Gravi enim ſub hujuſce ſæculi initium inter Auſtriacos & Borbonicos pro Hiſpaniarum Regno (1) controverſia exorta, æſtuantibuſque utrinque animis, ad arma ventum eſt, & belli theatrum in Italiam delatum. Efferveſcentibus itaque inter æmulos armis, Franciſcus Maria impotenti ductus conſilio, quum a Cæſare ad Borbonicos anno MDCCIV. deſciviſſet; hi nullà interjectà morà ad obſidendam Mirandulam Auſtriaco firmatam Præſidio proceſſi, ignitis pilis, ſed irrito conatu, urbem fatigare cœperunt. Obſidione ad annum proximum continuata, & validioribus viribus die XV. Aprilis repetita oppugnatione, urbem VI. Idus Maji ad deditionem adegère. At de ſpe, quam conceperat, juvenis Princeps dejectus fuit; etenim poſt varios belli caſus, prævalentibus Auſtriacis armis, Joſeph, qui poſt mortem Leopoldi patris fuerat Imperator renunciatus, Franciſcum Mariam ob graviſſimum leſæ majeſtatis crimen è Feudo decidiſſe, & ejus bona Imperiali Fiſco devoluta declaravit: cumque ipſe Cæſar pecuniæ inopia, pro alendo Milite, premeretur, Mirandulam, & totam ejus ditionem Raynaldo Eſtenſi Mutinæ Duci anno MDCCX. venundedit, in cujus poſſeſſionem ſequenti XVI. Kal. Majas maxima cum ſollemnitate fuit immiſſus, atque in ea ad ævum hunc noſtrum filius Franciſcus III. perſeverat.

(1) Carolo II. Hiſpaniarum Rege Kal. Novembris MDCC. ex humanis rebus ſublato, Philippus Dux Andegavenſis ex teſtamento hæres pacificam Monarchiæ poſſeſſionem ſuſcepit. Quod quum Carolus Auſtriacus Leopoldi Imperatoris filius, qui jure ſanguinis ad Regnum aſpirabat, ægrè pateretur, in eum arma movit; & hinc grave bellum inter contendentes excitatum, quod per plures annos in Italia exarſit.

MAR-

Digitized by Google

MARCHIONUM MONTISFERRATI.

Æ Reus primus argento mixtus demonſtrat in anterioris partis area literam M verbis in gyrum poſitis TEODORVS
I. MARCHIO. A tergo effulget Crux cum quatuor roſis in angulis, hac voce circumſepta MONTISFERATI. Ad Theodorum II. Joannis (1) filium ſpectare nummum non ambigimus; etenim ſi ſingula hujus verba ad trutinam contulerimus, omnia cum illo conſonare obſervabimus, quem in altera Diſſertatione (2) dedimus; præterquamquod ſuadet etiam characterum forma, qualis ea tempeſtate in uſu fuit. Theodorus ergo cum cognoviſſet Joannem fratrem in Neapolitano conflictu cecidiſſe, Principatus curam ſuſcepit, & Joannam ex Roberto Barenſi Duce natam anno MCCCXCIII. matrimonio ſibi copulavit, & novem poſt annos functa, novas nuptias cum Margareta Ludovici Achajæ Principis filia celebravit. Ab Amadeo Achajæ Principe, Ludovici Sabaudiæ Comitis armis freto, gravi bello preſſus anno MCCCXCVI. Montevicus ejus ditionis oppidum, Faccioti Biglioni proditione, in hoſtis poteſtatem devenit, perperàm ejus recuperatione ſæpiùs tentata. Anno verò MCCCCIX. quum Januenſes, qui Carolo VI. Francorum Regi ſe ſe ſub-

(1) Joanne Montisferrati Marchione e mortali hac luce demigrato anno MCCCLXXIII. quatuor ei filii ſuperſtites fuere, Secondottus nempe, Joannes, Theodorus, & Guilelmus, & primi tres, unus poſt alium, Monferratenſibus rebus præfuere. Secondottus ergo, utì major natu, poſt patrem tenuit Principatum, vir ſanè ad iram pronus, & cum Brutis crudelitate comparandus. Is quum quinto imperii anno in Parmenſem ditionem ſe contuliſſet, & levi de cauſſa furore incenſus teneræ ætatis famulum ſuffocare niteretur, a quodam Teutonico, ut puerum a periculo eximeret, gladio percuſſus interiit. Hunc excepit Joannes frater, qui Joannæ Neapolis Reginæ adhærens eo in bello a Carolo Dyracchi Duce in Reginæ fautores anno MCCCLXXXI. excitato periit. Hinc regendi munus ſubiit Theodorus, de quo ut ſupra.

(2) Vide Diſſertationem excuſſam anno MDCCLXVII. pag. 93. num. 2.

Digitized by Google

ſubmiſerant (1), a Bucichaldo ejus Vicario gravi manu regerentur, & ipſe cum multo milite Mediolanum contendiſſet; nonnulli Primates, qui apud Theodorum verſabantur, veniſſe tempus excutiendi jugum rati, ad exturbandos Gallos Marchionem ſollicitarunt, imperium urbis polliciti, ſi ab eorum manibus vindicare contigiſſet. Hiſce excitatus promiſſis Theodorus juſto armatorum numero comparato Januam accurrens, popularibus armis fretus VIII. Idus Septembris in Gallos inſurgit, & hi partim cæſi, inter quos Præses, partim in fugam acti. Re ex voto ſucceſſa, Theodorus poſt biduum ad Prætorium a Civibus conſociatus, ibique unanimi conſenſu in Capitaneum electus, negotia Reipublicæ cœpit moderari: at quum aliquando ad ſuam ſedem ſe recepiſſet; ecce novus tumultus anno MCCCCXIII. Kal. Aprilis in Urbe excitatur; etenim Thomas Fregoſus, qui multa apud Januenſes pollebat auctoritate, ut ab extero imperio Rempublicam eximeret, cum armato populo in forum concurrit; qua de re exterritus Conradus ex Marchionibus de Carreto, cui urbis cura fuerat demandata, ſuis diffiſus viribus, alio cum militari Præſidio, urbe dimiſſa, ſe recepit. Quod ubi reſcivit Marchio, in furorem elatus, ut rebellibus ulciſceretur, arma parat, ſed brevi ab ultione ceſſatum; grandi enim pecuniæ vi delinitus, antiquato ſuo in urbem jure, Januenſibus pacem dedit. Anno, qui inſecutus, Theodorus ob ejus merita fuit a Sigiſmundo Imperatore Vicarii Imperialis dignitate inſignitus, & anno, qui fuit octavus & decimus ad quadringenteſimum & milleſimum, extremum vitæ ſpiritum edidit; duobus poſt ſe relictis filiis ex prima uxore

(1) Gliſcentibus inter Adurnos, & Guarcos præclariſſimas Januæ familias ſimultatibus & rixis, & urbis Primatibus partim his, partim illis adherentibus; Antoniottus Adurnus tunc Dux, ut tot malis, quæ in dies augebantur, finem imponeret, convocato Concilio expoſuit: Januenſes nullam pacem unquam fore habituros, niſi externo Principi Reipublicæ regimen concrederetur, & ſe æquo animo ad dignitatem dimittendam pro bono Patriæ promptum eſſe; quibus verbis Optimates commoti ſe ſe, ſuamque urbem anno MCCCXCVI. Carolo VI. Francorum Regi ſubmiſere; & ejus Oratores Regis nomine Dominio ſuſcepto, Antoniottum ipſum in Gubernatorem elegerunt.

Digitized by Google

ſuſceptis, Joanne Jacobo ſcilicet, Sophia (1) in vita patris Joanni Græcorum Imperatori nuptui tradita.

Poſt exceſſum Theodori Monferratenſium rerum ſumma ad Joannem Jacobum ejus filium devenit, qui ducta in uxorem Joanna Amadei Sabaudiæ Ducis filia, ex ea, præter fœminas, quatuor mares procreavit, Joannem nempe, Guilelmum, Bonifatium, & Theodorum. Patri functo anno MCCCCXLV. Joannes major natu ſucceſſit, cui Ludovicus Sabaudiæ Dux anno MCCCCLIV. Margaritam filiam nuptum dedit. Nulla relicta legitima prole vitam poſuit Joannes MCCCCLXIV., & ſucceſſorem habuit Guilelmum fratrem, qui proximo anno Mariam Gaſtoni Navarræ Principis filiam conſortem ſui thori fecit, & ea tertium poſt annum functa, Elizabetham ex Franciſco Sfortia Mediolani Duce, & Blancha Maria natam duxit. Hic ad condecorandum Caſalem, ubi ſedem fixerat, intentus, ut in Civitatem erigeretur, & Epiſcopali dignitate donaretur, a Xiſto IV. MCCCCLXXIV. impetravit. Hoc eodem anno tertias nuptias cum Bernarda Joannis Panteuriæ Comitis filia inivit, & nonum poſt annum ultima Februarii die, nulla relicta virili prole, ex hac vita demigravit. Hunc excepit Bonifatius frater, ſub cujus imperio prodiit ſecundus, quem damus, nummus: eſt hic argenteus, exhibetque in antica facie Aquilam bicipitem expanſis alis, in cujus pectore teſſerarium Principis ſcu-
II. tum apparet inſculptum, verbis in orbe exaratis BONIFATIVS. MAR. MONT. FER. 3 C. *Bonifatius Marchio Montis Ferrati & cætera*. Oſtendit poſtica Crucem affabrè elaboratam cum lemmate CRVCEM TVAM ADORAMVS. Sub initium imperii deſiderio prolis captus cum Helena ex Joanne Ponteuræ Comite nata nuptias fecit, qua paucos poſt menſes e vivis ſublata, Stephanus Serviæ Dominus Mariam filiam ſuam ei in matrimo-

(1) Erat Sophia egregiæ ſanè indolis, & ad omnem honeſti rationem inſigniter erudita, ſed ei in venuſtate vultus natura illiberalis, ac parca fuit. Ob ſuam ergo inelegantem formam inviſam admodum marito ſe præbuit, ut ſecum cohabitare, & Veneris fœdus inire neglexerit. Hæc animadvertens mulier, ſpe ſua fruſtrata, & de meliori ſtatu deſperans, navem conſcendit, & ad ſuos in Longobardiam rediit.

Digitized by Google

TAB. VIII PAG. 80

MIRANDVLÆ







MARCHIONVM MONTISFERRATI



Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

monium dedit, ex qua duos filios sustulit, Guilelmum scilicet, & Joannem Georgium. Morbi diuturnitate confectus Bonifatius anno MCCCCXCI. decessit; & Guilelmus utì major natu unà cum matre summi consilii fœmina imperii clavum suscepit, sub quo tres subsequentes nummi prodiere.

Argenteus tertius ostendit in anteriori fronte Guilelmi pileatum caput cum ejus nomine in circuitu. A tergo exhibetur III.
Principis stemma verbis in gyrum positis SACRI RO· IMP. PRINC. VICA. PP. *Sacri Romani Imperii Princeps Vicarius Perpetuus*. Huic fermè similem nummum protulit Muratorius sub num. II.; neque ab eo differt, nisi diversa characterum positione; prætermittendum propterea non esse duximus, ut comparatione cum eo instituta, discrimen quod intercedit non exiguum, observetur.

Similis penè antecedenti est quartus, si excipias aurum puris- IV.
simum, ex quo est conflatus, quod eum raritate insignem reddit. Hic nulla parte læsus magis artificii habet, quàm argenteus, & in pondere duobus aureis Romanis vulgo *Zecchini* correspondet.

Ejusdem Principis imaginem præfert quinctus æreus, & in margine hanc inscriptionem GVLIELMVS MARCHIO XXIII. V.
Ostentat postica cubantem Cervum, cujus Femori adhæret stemma, verbis in gyro positis MONTIS. FERRATI. Fuit Guilelmus ipso principatus exordio a Philippo Sabaudiæ Duce gravi bello petitus, & maximas populationes ejus ditio passa est. Rebus inde compositis reliquum vitæ suæ in summa pace exegit: excessit anno MDXVIII. tirbus filiis superstitibus, Bonifatio scilicet, Margareta, & Anna. Itaque Bonifatius admodum puer una cum matre imperii habenas suscepit, tenuitque ad annum MDXXXI., quo fervidus juvenis venationi summopere deditus, quum equum admotis calcaribus ad cursum magis incitasset, in terram præcipitavit, eodemque momento temporis finem vitæ suæ confecit.

Argenteus sextus demonstrat in antica parte pileatum Prin- VI.
cipis Caput, cum ejus nomine in circuitu IO*annes* GEORGIVS M*archio* MONTIS FERRATI. In postica insignia, & inscriptionem VICARIVS ROMANI IMPERII. Erat Joannes Georgius Bonifatii patruus, Clericali militiæ addictus, & pingui fa-

Digitized by Google

tis Abbatiâ munitus. Is, Ecclesiastico proventu dimisso, Monferratensium rerum curam suscepit, & licèt infirma valetudine teneretur, ausit tamen anno MDXXXIII. Juliam Friderici olim Neapolis Regis filiam, quæ unà cum Isabella matre Ferrariæ versabatur, conjugio sibi devincire, quæ quidem nuptiæ ea in urbe die XXIX. Martii celebratæ, fuere Marchioni exitiales: etenim ingravescente morbo, postremà subsequentis Aprilis e medio excessit. Extincta in Joanne Georgio Paleologorum stirpe, quæ per annos CCXXVII. hujusce Regiouis imperium tenuit; quum Fridericus Gonzaga Dux Mantuæ, & Carolus Sabaudiæ Dux ad hæreditatem aspirarent: Carolus Imperator celeberrimorum Jurisperitorum sententiis ritè perpensis, Mantuano, qui anno MDXXXI. Margaretam Joannis Georgii Neptem matrimonio sibi junxerat, adjudicavit, in cujus possessionem fuit immissus MDXXXVI. Qui plura de hac re scire cupit, adeat postremam Dissertationem pag. 55.

MUTINÆ.

I. HAbes in anteriori argentei primi nummi facie Sanctum Geminianum urbis Episcopum ac Protectorem in sella sedentem, elevata dexterà ad benedicendum, sinistrà pastoralem virgam sustinentem, cum ejus nomine in circuitu. Dat postica urbis insigne, & epigraphen COMVNITATIS MVTINE.

II. Ab antica secundi aurei nummi parte Leonis X. Summi Pontificis est vultus, hisce vocibus circumseptus LEO X. PONTIFEX MAXIMVS. A tergo inspicitur Sanctus Geminianus in cathedra sedens dexterà urbis typum sustinens, addita in limbo epigraphe S. GEMINI*anus*. MVT*inæ* PONTI*fex*. Coortis inter Julium II., & Alphonsum Ferrariæ Ducem dissidiis, simultatibusque; Pontifex ira furens ad exturbandum è suis ditionibus Estensem diris jam devotum validiora arma comparavit, & Francisco Mariæ Urbini Duci Nepoti belli curam concredidit. Is anno MDX. V. Nonas Julii cum robore exercitus in agrum Ferrariensem penetratus, Cento, & Plebe in potestatem receptis, Massam Lombardorum, Consilicem, aliaque proxima loca occupavit, & arcem Luci ad deditionem adegit. Hisce secundis rebus inflatus Urbinas, & potiundæ Mutinæ cupiditate incensus,

ad

ad Forum Gallorum quinque mille paſſibus ad urbe diſſitum XV. Kal. Septembris caſtra firmavit, miſſoque ad eam petendam Caduceatore, facilè poſtulatis ejus Cives, quorum nonnullos ſpecioſa præmiorum ſpe Julius ſibi devinxerat, aſſenſerunt, & urbem, ejuſque arcem Urbinati ceſsère. Hoc auſu Maximilianus Imperator offenſus, quum per nuncium Pontifici ſignificaſſet, Mutinam utì feudum imperiale ab ejus armis temerè fuiſſe occupatam: Julius juris ſenſus dictamini uniformes agnoſcens proximo anno pridie Kal. Februarii in Cæſaris manibûs urbem depoſuit, ſtetitque ad MDXIV., quo Leo X., qui Julio ſucceſſerat, perſolutis Maximiliano pecunia egenti quadraginta millibus Ducatis aureis, Mutinam Eccleſiæ ditioni adjunxit, & ea in urbe nummos ſuo nomine inſcriptos cœpit obſignare, inter quos noſter ſummæ raritatis recenſendus.

Sequitur tertius argenteus Xaverio Scillæ inviſus exhibens in area Sanctum Geminianum, & in exergo urbis ſtemma. In III.
averſa parte inſculptum apparet gentilitium Clementis VII. ſcutum cum circumducta inſcriptione CLEMENS VII. P. MAX. Paruit Eccleſiæ Mutina ad annum MDXXVII., quo tempore quum Clemens a Cæſareis armis, quæ Romam occupaverant, in arce Sancti Angeli obſeſſus detineretur: Alphonſus veniſſe tempus recuperandæ urbis ratus, ſubitario coacto exercitu Mutinam properavit, & Pontificium Præſidium abire coegit: & ſic urbs ad Eſtenſes rediit, ſub quibus adhuc perdurat.

NEAPOLIS, ET SICILIÆ.

IN margine primi ærei nummi hæ literæ conſpiciuntur F. ROMANORVM, & in area IPR., hoc eſt *Fridericus Romanorum Imperator*. Poſtica præfert Crucem, & Epigraphen IERSL. I.
ET SICIL. R. *Jeruſalem & Siciliæ Rex*. Spectat nummus ad Fridericum II. ex Henrico VI. Imperatore, & Conſtantia Guilelmi Siciliæ Regis filia natum, qui fuit ab Honorio III. Imperiali corona inſignitus anno MCCXX. Hic ſub initium imperii a debita erga Pontificem fide deflexus, Eccleſiaſticam ditionem excurſionibus, & rapinis cœpit divexare, nec multo poſt Italiam totam inteſtinis odiis, atque factionibus replevit, Gibellinorum nempe, qui ejus partes ſequebantur, & Guelphorum

Pon-

Digitized by Google

Pontificibus adhærentium; quæ duæ Factiones progreſſu temporis ingentes calamitates, & ſtrages edidere; quibus malis commotus Pontifex Fridericum anathemate confixit. Ea re vehementer Imperator incenſus, & magis magiſque in ſua pertinacia obduratus, graviter in Eccleſias inſæviit, eaſque auro, argento, & theſauris ſuis expoliavit: Epiſcopos ex Apulia & Sicilia deturbavit, & novos inſtituit: Monachos ex antiquis eorum ſedibus, ac fundis expulſos ad ſummam egeſtatem adegit, & horum quamplurimos ignominioſa morte affecit. Itaque quum Cæſar Italiam continuò afflictionis jugo deprimeret, & furoris immani gladio dilaniaret: Innocentius IV. tunc Summus Pontifex, ut afflictis populis pacem daret, Lugduni anno MCCXLV. convocato Concilio, confirmatiſque in eum cenſuris, quibus ſæpiùs fuerat irretitus, de communi Patrum conſenſu omni dignitate, atque honore privavit, fideque populos, qua ipſi ſe obſtrinxerant, ſolvit. Poſt hæc Fridericus eò magis in furorem verſus ad obſidendam Parmam, Confœderatorum oprimo firmatam Præſidio, ſe contulit, a qua fœdè repulſus in Apuliam ſeceſſit, ibique anno MCCL. Firenzolæ in humanis eſſe deſiit, quem an pœnituerit, incertum.

Secundi argentei nummi (1) limbus hiſce vocibus inſcribitur KAROL. IERL. ET SICIL. REX. *Carolus Jeruſalem, &*
II. *Siciliæ Rex*, & ejus area a Principis ſtemmate impletur. A tergo depingitur imago Beatæ Mariæ Virginis ab Angelo ſalutatæ verbis in gyrum poſitis AVE GRA. PLF. DNS TECVM. *Ave gratia plena, Dominus tecum*. Poſt Friderici exceſſum Siculum ſceptrum ad Conradum ejus filium delatum, & eo a Manfredo ejuſdem Friderici notho, regnandi ambitione æſtuante, veneno ſublato, imperium ſibi vindicavit, qui quum totus ad terrarum Eccleſiæ populationem, vaſtationemque vehementer

ter

(1) Hic nummus licèt eaſdem imagines præferat, atque inſcriptiones, quæ in evulgato a Muratorio ſub num. XII. conſpiciuntur, in hiſce tamen ab eo differt; quod Muratorianus, quum ſit majoris moduli, ſexaginta granis in pondere æquipollet, noſter verò triginta non excedit; ille ea tempeſtate *Carlinus* ab ejuſdem Caroli nomine, qui primùm hoc genus monetæ cudi fecit, vocabatur, noſter verò pro Semicarlino expendebatur.

Digitized by Google

ter incumberet, Urbanus IX. tunc ſummus Pontifex de eo expellendo cogitavit, & Carolum Andegavenſem Sancti Ludovici fratrem in Italiam evocavit. Is cum triginta triremibus Romam appulſus a Clemente IV., qui Urbano ſucceſſerat, in utriuſque Siciliæ Regem VIII. Idus Januarii MCCLXVI. coronatus eſt; nec multo poſt ad Beneventum cum hoſte congreſſus ſumma vi, varioque eventu per quatuor horas ab utraque parte pugnatum; tandem cæſo Manfredo, pro Carolo ſtetit victoria. His feliciter peractis, Neapolim ovans ingreditur, & ſumma cum humanitate Regni curam ſuſcepit.

In argenteo tertio repræſentatur Aquila expanſis alis, circum poſita inſcriptione PETRVS SECVNDVS. A tergo cer- III.
nitur teſſerarium Principis ſcutum literis in gyrum ſculptis DEI GRA*tia* REX SICILIE. Quum Siculi a Gallis gravi jugo premerentur, ut ſe ab eorum tyrannide eximerent, anno MCCLXXXII. in ipſos conſpirarunt, Joanne Procida auctore, viro erudito, atque Medicinæ peritia illuſtri. Horum primi Panormitani fuere, qui Petri Aragoniæ Regis implorato auxiliis, conſtitutoque ad tantum facinus die ſacro Paſchæ, dum ad Veſpertinas præces Campanæ pulſarentur, in Gallos incautos & nihil timentes irruerunt, & abſque ſexus, ætatis, ac conditionis diſcrimine ad unum occiderunt. Re feliciter perpatrata, Aragonius, qui cladi conſenſerat, & cum valida claſſe Siciliam properaverat, fuit eodem anno Siciliæ Rex ſalutatus, & poſtero Regni curâ Jacobo filio ſecundogenito demandatâ, ad ſuam ſedem reverſus eſt. Petro è vivis rapto MCCXCV., Aragoniæ Regnum, ut ipſe edixerat, ad Alphonſum primogenitum; Siculum verò ad Jacobum translatum. Cæterùm quum ſextum poſt annum Alphonſus vitam cum ſceptro poſuiſſet; Jacobus Siculis rebus Friderico fratri concreditis, ad accipienda paterna Regna properavit; nec multo poſt ad Bonifacii VIII. petitiones & preces, Siciliam, aliaſque terras ultra Pharum ſuo dominio ſubjectas Carolo II., qui Carolo patri ſucceſſerat, remiſit, ac ceſſit. Ad hujus rei nuntium Siculi in Andegavenſes irati Fridericum IV. Non. Februarii MCCXCVI. in Regem unxerunt, maximo herclè Jacobi mœrore, qui quum apud animum ſuum promiſſioni factæ, ſcriptiſque confirmatæ ſtare decreviſſet, fratrem per legatos admonuit, ut Regis nomen, inſigniaque

de-

Digitized by Google

deponeret, fasceſque abſque mora Carolo ſubmitteret; quibus ſpretis, bellum denunciatur. Anno ergo MCCXCIX. Jacobus valida cum Claſſe Neapolim appulſus, Caroli armis corroboratus, in Siciliam vela facit, primoque impetu Mylis, aliiſque proximis locis occupatis, ad obſidendas Syracuſas perrexit: ſed Siculæ naves cum Andegavenſibus acie congreſſæ pro Siculis ſtetit victoria. Jacobus ut res ſuas in extremo poſitas vidit, pudore magis commotus, quàm animo perturbatus, Neapolim rediit; & ne adverſæ fortunæ cederet, detrimenta accepta ſtuduit reſarcire. Is itaque majoribus quàm antea viribus comparatis iterum Siculos invaſit, qui ob victoriam elati quum timidos hoſtes eſſe crederent, & quaſi primo impetu devicturi, alacriter in illos irrumpunt. Ardentibus utrinque ſtudiis, per duas horas ab utraque parte pro gloria, pro ſalute, atque imperio ferociter dimicatum; ad extremum Siculi ſuperati; ex iis quamplurimi vulnerati, aut cæſi; captivorum ingens numerus; duæ & viginti triremes prædæ hoſtium factæ; & ipſe Fridericus vix elapſus alio ex fuga ſe recepit. Parta victoria Jacobus a laceſſendis Siculis ſe abſtinuit, fraternique mali pœnitentia ductus, ſollicita Regni ſui re ſimulata, in Catalauniam repetiit. Poſt ejus diſceſſum bellum ad annum MCCCII. continuatum nutante hinc inde fortuna, quo pax tandem ea lege firmata, ut Fridericus, quoad viveret, Regnum adminiſtraret; eo autem functo, ad Carolum, ejuſque hæredes reverteretur: cui quidem legi, ut turpi, & contra Jus Succeſſoris præſcriptæ, quum Petrus, qui in vita patris fuerat anno MCCCXXII. in Regem Siciliæ coronatus, & ei fato functo MCCCXXXVII. ſucceſſerat, ſtare renuiſſet: Robertus tunc Neapolis Rex, qui longo tempore Siciliæ inhiabat, nullâ interjectâ morâ, arma, triremes, commeatum, quæque ad navale, vel terreſtre gerendum bellum forent neceſſaria, parat, ſummamque exercitus Carolo Dyracchi Duci nepoti committit. Is proximo anno, menſe Junio, in Siciliam invectus circumvicina loca invaſit, & ad Tremilium caſtra locavit: ſæpiùs, ſed inani conatu, muros ſuperare tentavit; at obſeſſi fortiter ſe defendentes vim propulſabant, & ſaxis, omnique telorum genere aggreſſores obruebant: obſidione ad exitum Auguſti continuata, tandem Præſidiarii languidiores facti, & extremi periculi timore perculſi ſponte ſe dediderunt: cæ-

te-

Digitized by Google

terùm quum eodem tempore teterrima lues insævire cœpisset, quamplurimosque consumpsisset, reliqui ut ab exitiali morbo se eximerent, Neapolim re infecta se receperunt. At Robertus vir constans, novo exercitu comparato, in Siciliam anno MCCCXLI. sub egregiis Ducibus immisit; qui primo impetu Lipara Insula occupata, terra, marique Milas acri obsidione cinxerunt; cui malo cupiens occurrere Petrus, ter cum hostibus congressus, victus semper receſſit. Hisce ergo pressus angustiis, ac laboribus Petrus in morbum incidit, quo ingravescente, sequenti anno VI. Idus Augusti fatis concessit, Ludovico Primogenito, ex Elizabetha uxore Bavariæ Ducis filia suscepto, Regni hærede, sub tutela Joannis Randazii Ducis relicto, qui communi Procerum consensu fuit eodem anno XVII. Kal. Octobris Regali corona insignitus. Petro ergo imperante perrarus hic nummus percussus est.

In anteriori quarti ex infimo argento conflati nummi fronte repræsentatur Crux integram aream dividens, intra cujus la- IV.
tera hi characteres conspiciuntur R. IHR. ET SLE. Rex. *Renatus Jerusalem, & Siciliæ Rex*. In adversæ partis circulo legitur DEN. DVPLEX, & in medio PVIE., hoc est *Denarius duplex Provinciæ*. Joannà II. Neapolitanorum Reginà IV. Nonas Februarii MCCCCXXXV. è medio sublatà, totius Regni summa, sicuti ipsa testamento caverat, ad Renatum Andegavensem, qui ea tempestate apud Philippum Burgundiæ Ducem sub custodia detinebatur, devenit. Is ut Regni Primates, qui suæ parti adhærebant, in fide contineret, & jus suum in Alphonsum Aragonensium Regem, qui jure adoptionis (1) Neapolitanum Regnum sibi vindicabat, & majorem partem occupaverat, tueretur; Isabellam uxorem virilis animi fœminam unà cum duobus filiis Ludovico, & Joanne eodem anno Nea-

(1) Hunc Joanna II. in filium adoptaverat, & hæredem suum in Regno Neapolitano constituerat: verùm quum ipse in Reginam insurrexisset, & in carcerem detrudere tentasset; illa in Capuanam arcem se recepit, accersitoque in opem Sfortia, iterum in imperio firmatur; ultionisque caussa Alphonsi antiquata adoptione; in ejus locum Ludovicum Adegavensem ascivit, & eo sine liberis functo ad Renatum ejus fratrem jus transtulit.

Digitized by Google

polim immisit, quæ maximo honore a Civibus excepta, adeo eorum animos sibi devinxit, ut ad arma in Aragonensem sumenda excitaverit. Verùm quum gravi pecuniæ inopia, pro conscribendo milite, premeretur, & aliquot Proceres in fide titubantes cognosceret; ad Eugenium IV. Summum Pontificem, qui Andegavensi parti favebat, nuncios misit, & opem in hoc periclitanti rerum statu imploravit. Annuit Pontifex, armorumque cura Joanni Patriarchæ Vitellescho militiâ claro demandatâ; is cum quinque millibus Equitum, & quatuor millibus Peditum in agrum Neapolitanum maturavit, & primo impetu Venafrum, Alifum, Pedimontem, & alia Regni oppida in suam potestatem redegit; deinde junctis sibi nonnullis Reginæ copiis Joannem Antonium Ursinum Tarenti Principem adoritur, fugat, & in custodiam educit; quod ubi ad Pontificem delatum, Vitelleschus in præmium virtutis Cardinalitiâ purpurâ condecoratur. Hæc inter Renatus in libertatem vindicatus, classe advectus Neapolim XIV. Kal. Junii MCCCCXXXVIII. appulit, & a Populo in lætitiam effuso Rex salutatur. Is, ut res suas vindicaret, militibus incessanter descriptis unà cum auxiliaribus Jacobi Caldoræ Barii Ducis copiis ad obsidendum Sulmonem, commeatibus, & optimo Præsidio ab Alphonso communitum, properavit, & incessanti insultu cœpit urbem fatigare: at obsessi mira virtute, & constanti animo acerrimè, fortissimèque se defendentes, aggressorum conatus irritos semper reddidere, & ab intentatu desistere coegere. Re præter spem successa in Aprutium copias eduxit, & Aquilam, aliaque circumvicina oppida suo adjecit imperio. Hæc dum a Renato gerebantur, Jacobus Caldora repentino morbo correptus XIII. Kal. Decembris vivere desiit, & Antonius filius armorum curam suscepit, qui simulato animo Andegavensi se addixit, ut ejus facta comprobarunt. Contentionibus, & rixis ad annum MCCCCXL. continuatis; quum Renato nuntiatum Alphonsum ad Vallem Beneventi castra firmasse, illuc cum tota acie, ut bello finem daret, perrexit, & per caduceatorem III. Kal. Julii ad pugnam provocavit; cui quum ab Alphonso responsum, se majorem Regni partem jam occupasse, nec sanum esse tot urbes multo suorum sanguine sibi vindicatas incertæ dimicationis fortunæ concredere; Renatus rei nuncio ictus aleam belli experiri statuit, &

Digitized by Google

& postera die infesta insignia in hostem impulit, consertisque manibus, quum ad suam partem inclinaret victoria, Antonius propriæ securitati magis quàm gloriæ respiciens, posthabitâ Principis sui reverentiâ, a debita fide deflexit, & suis fortunam sequi inhibuit, atque a prælio revocavit. Qua de re commotus Renatus, quum neque promissis, neque precibus posset ab insano proposito rebellem removere, desperatâ victoriâ, a conflictu recessit, & Neapolim cum suis reversus, uxore, ac filiis in Galliam missis, introductisque in urbem commeatibus, & usui belli necessariis, hostiles impetus intra mœnia excipere, ac sustinere animo pertinaci constituit. Re ad Alphonsum delata, ad circumvallandam urbem sequenti anno Ferdinandum filium immisit, & proximo ipse cum robore exercitus illic profectus, omni studio, summaque diligentia, viis ubique interclusis, ne quid annonæ in eam deferretur, adeò cibariorum penuria crevit, ut XI. Ducatis frumenti tumulus venierit, & populus insolitis cibis vesceretur. Sæpiùs ab hoste oppugnatio tentata, sed semper a prælidiariis fortiter repulsus, & Cives ad Patriam tuandam semper prompti, nunquam a Regis fide se abalienarunt, neque mala, quæ in dies augebantur, a proposito detorserunt. Dum ergo Alphonsus variis conatibus urbem occupare nitebatur; quidam faber cæmentarius facilem ei viam potiundæ per aqueductum aperuit: re priùs per exploratores comperta, nocturno tempore quamplures milites Neapolim per eum ingressi, primo mane è latebris erumpentes, audaci clamore ad arma clientes excitant, effractâque urbis porta, Aragonensibus armis patuit ingressus. Eo inopinato successu perterritus Andegavensis animum non despondit, sed aggressoribus cum multis & fortissimis viris se opposuit, & quæcumque despiciens pericula nullum prudentis Ducis officium prætermittebat, & formidolosos ad pugnam verbis, atque exemplo inflammabat. Contentione ad plures horas continuata, quum tandem suarum non esse virium emuli armis obstare perspiceret, servire tempori statuit, & in Castrum novum se recepit; nec multò post, ut iniquæ fortunæ vices declinaret, in navim ascendens ad Eugenium Pontificem Florentiam, atque inde in Galliam concessit. Hæc inter Alphonsus Neapolim ovans ingressus, militibus, ut a direptionibus conquiescerent, & ablata restituerent, primùm

impoſuit, pœna mortis eis comminatâ; panis indè omnibus abundè datus; nec hoſtile quicquam, aut aſperum in urbe patratum.

In quincto argenteo nummo repræſentatur Ferdinandi Regis caput corona redimitum, ſculptis in limbo literis FER-
V. RANDVS D. G. R. SICILIE HI. *Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, Hieruſalem.* A tergo eminet Sanctus Michael Archangelus cum Vexillo, & Clypeo in actu feriendi Draconem, verbis in gyrum poſitis IVSTA TVENDA. Alphonſus, qui ad annum MCCCCLVIII. ſceptrum tenuit, morti proximus, condito a ſe teſtamento diſpoſuit, ut Joannes frater in Aragoniæ, Valentiæ, & Siciliæ Regnis ſuccederet; Neapolitani verò propria virtute acquiſiti Ferdinandum filium nothum hæredem declaravit. Is ſequenti anno, qui fuit quinquageſimus nonus ſupra milleſimum quadringenteſimum, tertio Idus Februarii a Latino Cardinale Urſino Baruli coronatus, dum perenni pace, & otio frui arbitrabatur, iniquæ fortunæ aleam ſubire adactus eſt. Etenim nonnulli Regni Principes ſubjici ſpurio indignati, inito inter ſe fœdere, eum deturbare decrevere, & Joannem Andegavenſium Ducem Renati expulſi filium, qui eo tempore Januæ verſabatur, ad accipiendum ſceptrum ſollicitarunt. Qui primi a Ferdinando defecerant, Joannes Antonius Urſinus, Tarenti Princeps, & Marinus Martianus Dux Sueſſæ fuere; & horum exempla Joannes Paulus Cantelmus Dux Soræ, Nicolaus de Campo baſſo, aliique Regni Magnates ſequuti ſunt. Hi ergo armis Andegavenſis, qui hoc eodem anno tertiò Nonas Octobris cum valida claſſe Neapolim appulerat, & lætis acclamationibus fuerat in Regem receptus, corroborati, numeroſo inſtructo exercitu in Campaniam penetrarunt, & ad Sarnum flumen non procul a Nola caſtra firmarunt. Hac ſeditione Ferdinandus inſpecta, armis ad defenſionem comparatis, & aliquot militum millibus a Pontifice, & Franciſco Sfortia Mediolani Duce impetratis, juvenili ardore incenſus, quum ingenii ſui captum, quàm Procerum conſilia, ſequi maluiſſet, in hoſtes copias eduxit, & aleam certaminis ſubire non dubitavit. Nonis Quinctilis MCCCCLX. acri ardore, ſummaque vi per ſex horas inter partes pugnatur; tandem Regiæ turmæ deletæ, & in fugam verſæ; & ipſe Ferdinandus vix ex inſequentium manibus elapſus,

vix

MARCHIONVM MONTIS FERRATI

MVTINÆ



NEAPOLIS ET SICILIÆ



Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

viginti tantùm succinctus equitibus Neapolim se recepit. Post hæc Ferdinandus restauratis viribus, & novis Sfortiæ, & Pii II. armis fretus, biennio post ad hostes non procul a Troja castrametatos cum exercitu properavit, confertisque manibus, pro se stetit Victoria: nec multo post Andegavensis sua frustratus spe, navali fuga ad suum Principatum remeatus est. Parem quòque calamitatem subiit Ferdinandus anno MCCCCLXXXV.; etenim auri cupidine captus quum nova, & gravia vectigalia Regni Principibus indixisset: hi rei indignitate exacerbati in eum conspirarunt, & arma sumpserunt. Dissidiis tamen Innocentio VIII. auctore brevi compositis, pax quibusdam conditionibus ad Principum nutum firmata est. Cæterum Ferdinandus, cui nihil tam familiare erat, quàm sine discrimine quibuscumque fidem fallere, & maximè Regni Primatibus, quos numero diminutos, aut extirpatos peroptabat, in plures graviter insæviit, alios ultimo supplicio affecit. Egit is in Principatu ad annum usque MCCCCXCIV., quo, quum ei nuntiatum, Carolum Francorum Regem ad invadendum Neapolitanum Regnum validiora arma comparare, gravi mœrore affectus VIII. Kal. Februarii inter mortales esse desiit, & ejus corpus in Æde Divi Dominici sepulturæ demandatur.

In area sexti argentei efficta est Mustella alpina, inferiùs litera T cum duabus rosis hinc inde dispositis, superiùs rosa, VI. & vitta, in qua legitur DECORVM. Aream ambit talis inscriptio FERRANDVS D. G. R. SICIL. *Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ*. Cernitur ab altera parte Ara cum igne superimposito, verbis in orbe scriptis IN DEXTERA TVA SALVS *Mea Domine*. Emortuo Ferdinando successit Alphonsus filius, qui summa cum sollemnitate a Joanne Borgia Cardinali ab Alexandro VI. ad eum delegato Idibus Maji MCCCCXCIV. in maximo templo coronatus est. Hoc eodem anno Carolus VIII. Francorum Rex alacris, ac fervidus juvenis ad expellendos è Neapolitano Regno Aragonios, quod hæreditario jure sibi arrogabat, arma comparavit. Misso ergo in Italiam cum instructa classe Ludovico Andegavensi; ipse cum valido exercitu Alpibus superatis, Astæ sub initium Septembris consedit. Astà digressus, Apuanam viam suscepit, lentoque gressu Lucà, Pisis, Florentiâ, & Senis perlustratis, Romam Kalendis Januarii MCCCCXCV.

in-

Digitized by Google

ingreſſus eſt. Tantam belli molem contra ſe paratam animadvertens Alphonſus, & Populo ſe inviſum agnoſcens, X. Kal. Februarii ſponte ſe Regno abdicavit, & in Ferdinandum filium tranſtulit; paucis inde poſt diebus, collectis theſauris, quos habebat pretioſiſſimos, ex urbe conſternatus ſeceſſit, & in Siciliam navigavit, ibique eodem anno XIII. Kal. Decembris finem vitæ ſuæ confecit, & ejus corpus Meſſanæ in Æde majori regali pompa ſepulturæ demandatur. Ferdinandus interea Regnum auſpicatus, Procerum animos ſibi devincire, ut in præſenti diſcrimine præſto eſſent, ſummopere ſtuduit; Populum a nonnullis vectigalibus exemit; Regni Primates in carceribus diu detentos liberavit; exules in patriam revocavit, eiſque Feuda, atque Oppida reſtituit; ſed vanæ ejus curæ fuere: etenim Carolus, rebus ſuis cum Pontifice compoſitis, in Aprutium copias eduxit, & Aquilà, aliiſque circumvicinis Oppidis ſine ſanguine occupatis, feſtinanter Neapolim verſus contendit: quod ubi cognovit Ferdinandus, licèt ad urbem tuendam arma paraſſet, Proceres tamen tumultuantes, & in fide titubantes conſpiciens, fortunæ cedere coactus eſt. Duodecim itaque Triremibus comparatis, & ſecum, ut tempus ſivit, ablatis gazis, die vigeſima prima Februarii Neapoli ſolvit, & in Iſclam Ænariæ inſulæ arcem confugit. Tertio a Ferdinandi diſceſſu die, Carolus octo & triginta millibus ſtipatus militibus triumphantis ad inſtar Neapolim ingreſſus a plaudente populo excipitur, & quindecim tantùm dierum ſpatio, præter omnium opinionem, totam fermè ditionem ſuo imperio ſubegit. Cæterum Galli voluptatibus tantùm, ac ludis addicti, quum contra fas, juſque Regnum moderari cœpiſſent, & magis magiſque intumeſcentes, in ſubditos extorſionibus, furtis, populationibuſque graviter inſoleſcerent; inhærenteſque Regiis veſtigiis, aſſiduis ſtupris, atque adulteriis ſe inquinarent, Populi exacerbati novi Principis imperium detrectabant. Hæc dum Neapoli gerebantur, Italiæ Principes felicibus Gallorum ſucceſſibus exterriti ad cohibendos eorum progreſſus, inito inter ſe fœdere, Regis in Galliam reditum intercludere decreverunt; inſtructoque exercitu, quadraginta bellatorum millium numeroſo, in agro Parmenſi caſtra fixerunt. Eo nuncio Carolus graviſſimè perturbarus ad ſuam ſedem citiſſimè revorti conſilium cœpit, relictoque ad Regni cuſtodiam idoneo

Præ-

Digitized by Google

Præſidio, cujus cura Gilberto a Monte Penſerio fuit demandata, Neapoli ceſſit, & Romam cum robore exercitus Kalendis Junii pervenit. Hetruriâ inde celeri, pro ut licuit, greſſu permeatâ, ad Forum Novum juxta Tarum torrentem conſedit; ibique ab exploratoribus certus factus Fœdetatos ad pugnam eſſe paratos, in planitiem deſcendit, & maximo impetu in hoſtes adoritur. Pridie Nonas Quinctilis per duas horas ſummo ardore utrinque certatum, dubiaque ſtetit victoria: Rex verò etſi viribus impar a periculo ſe exemit, & incolumis cum copiis, quæ cladi ſupererant, Placentiam, inde Aſtam ſe recepit. Inter hæc Ferdinandus Neapolim reverſus, & ſummâ populi lætitiâ exceptus ad obſidendam arcem Ovi totum ſe dedit, & brevi in ſuam poteſtatem redegit; virtute quoque Conſalvi celeberrimi Ducis adjutus, qui fuerat a Ferdinando Hiſpaniarum Rege cum valida claſſe in ejus opem ablegatus, & Venetorum armis, quibus præerat Franciſcus Marchio Mantuæ militiâ clarus corroboratus, Gallos ſuperavit, & ad ſuos lares remeare coegit. Cæterum Ferdinandus haud diu hacce victoria lætatus eſt; etenim aſſiduitate bellorum, & curarum preſſus in gravem incidit morbum, ſenſimque extabeſcens proximo anno MCCCCXCVI. Nonis Septembris vitæ finem implevit.

Argenteus ſeptimus demonſtrat Aquilam expanſis alis cum circumducta epigraphe FERDINANDVS D. G. R. SICILIE. A. *Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliæ, Aragoniæ.* Dat poſtica VII. Principis ſtemma, & in lymbo repetitur ejus nomen hiſce ſubſequentibus ſiglis D. G. R. C. A. S., quæ ſic interpretandæ ſunt *Dei gratia Rex Caſtiliæ, Aragoniæ, Siciliæ.* Ferdinando Neapolis Rege vita functo, & jure Regni in Fridericum patruum translato, Gallorum Rex Ludovicus XII. Caroli VIII. ſucceſſor, & Ferdinandus Hiſpanus in eum armis inſurrexere, inita prius conditione partiendi inter ſe Principatum. Quod ubi ſenſit Fridericus, & nullum afflictis rebus ſubſidium vidit, deplorata ſpe reſiſtendi, ad Ludovicum (1) cum uxore ac liberis.

(1) Ferdinandus Hiſpanus, ut ſuperiùs innuimus, Ferdinando in expellendis e Regno Gallis præſto fuit: deinde mutata voluntate occultum fœdus cum Francorum Rege in Friderici damnum pepigit, Re-

Digitized by Google

ris perrexit. Gravi porro in Provinciarum divisione inter Reges dissensione exorta, ad dirimendam litem armis disceptatum est eo eventu, ut Galli superati ad suas sedes reverti adacti sunt; & sic totum Neapolitanum Regnum ad Ferdinandum devenit, sub cujus imperio nummus signatus est.

In aureo octavo insculpsit artifex Hispaniarum Regis insignia addita in margine inscriptione IOANNA ET CAROLVS.
VIII. A tergo Crucem hisce vocibus circumseptam HISPANIARVM REGES SICILIE. Philippus Austriacus Maximiliani Imperatoris filius ducta in uxorem anno MCCCCXCVI. Joanna ex Ferdinando Aragoniæ, Hispaniarum, & Siciliæ Rege nata, quatuor fœminas, & duos mares, Carolum nempe, & Ferdinandum ex ea procreavit. Philippo in juventutis flore anno MDVI., & Ferdinando absque virili prole MDXIX. ex humanis rebus sublatis; Joanna, uti pater testamento caverat, hæres facta, una cum Carolo Regnorum curam suscepit, & nummum cum sui, & filii nominibus inscripsit.

PAPIÆ.

In margine primi argentei nummi scyphi formam referentis hæc verba exarata perpenduntur VGO LOHTARIVS, & in
I. area hæ siglæ IYXI., quarum explicationem adgredi non audeo, sed me peritioribus relinquo. Aversæ partis medium occupat Urbis nomen PAPIA cum lemmate in circuitu XISTIANA REL*igio*. Ugo Provinciæ Comes in Regem Italiæ cooptatus, & Mediolani ferreâ Coronâ redimitus anno DCCCCXXVI. Papiæ sedem fixit, & ejus prima cura fuit cum circumvicinis Populis fœdus inire, & eorum animos sibi conciliare. Anno ejus imperii quarto a Gualberto, & Everardo cognomento Gezo, qui multa apud Papienses pollebant auctoritate, insidiis petitus, arte seditiosos elusit, & carceribus demandavit: Everardus capite plexus, alter oculis, & lingua multatus. Hocce liberatus periculo Ugo, ut tutiùs se in Regno firmaret, Lotharium filium

Regni cupiditate magis, quàm sanguinis vinculo in eo prævalente. Qua indignitate exacerbatus Fridericus, Ludovici, quàm Ferdinandi clementiam maluit experiri.

Digitized by Google

lium ex Alda uxore jam functa susceptum proximo anno collegam sibi adscivit, jussitque Mediolani coronari. Romam inde a Marocia (1) nobili fœmina, ad cujus nutus Urbanæ res moderabantur, accersitus, incestuosas nuptias (2) cum ea celebravit. Verùm cum elatiore animo, quàm par erat, se gereret, & Albericum Marociæ filium, quem ex Alberico viro Consulari ipsa sustulerat, gravi injuria afficisset: Romani Proceres ab eo ad vindictam concitati in Ugonem insurrexere, atque unde venerat, abire coegerunt. Ugone exturbato, Primates tumidæ fœminæ imperium pertesi Albericum in Principem elegerunt, & Consulis titulo condecorarunt, qui quum matris potentiam, ac

(1) Erat Maria, corrupto vocabulo a Romanis Marocia dicta, Theodoræ spectabilis formæ mulieris filia, quam injustis amplexibus ex Adalberto Thusciæ Marchione ipsa genuerat. Itaque Marocia, nuptiis cum Alberico Consulari dignitate insignito celebratis, adeò gratiâ sermonis, illecebrisque quamplurimorum Procerum animos delinivit, ut multam auctoritatem in urbanis rebus administrandis sibi comparaverit. Marito, quem duorum filiorum, Alberici scilicet & Joannis, patrem fecerat, ex humanis rebus subtracto, fautorum suorum fulta præsidio, Castrum S. Angeli occupavit, utque magis potentiam suam firmaret, Guidonem Thusciæ Marchionem consortem sui thori fecit, atque unà simul Romanas res moderari cœperunt. Ea indignitate perculsus Joannes X. tunc Summus Pontifex ad retundendam eorum audaciam totum animum adjecit, & nihil intentatum reliquit; sed aliter quàm sperabat evenit, & ejus vota fortuna fefellit; etenim tumens fœmina, atque ad omnia scelera prompta, adeo ad vindictam Guidonem sollicitavit, & præcibus fatigavit, ut Pontifex fuerit in carcerem trusus, ibique non multo post faucibus cervicali occlusis suffocatus. Guidone postero anno functo, Marocia ne a pristina potentia declinaret, Ugonem Italiæ Regem Romam evocavit, & cum eo, ut superiùs diximus, incestuosum matrimonium contraxit.

(2) Ugo, & Guido erant uterini fratres; etenim Berta eorum mater Lotharium duxerat Provinciæ Comitem, ex quo Ugonem genuit, & eo functo, cum Alberto Thusciæ Marchione matrimonio se junxit, cui Guidonem, Lambertum, & Ermengradam peperit. Cæterum Ugonem ob nullitatem Matrimonii Marociam dimisisse, non est ambigendum; constat enim biennio post conjugio sibi devinxisse Bertam Rodulphi Burgundiæ Regis relictam, & illius Adheleidæ matrem, cujus præclaras dotes, vicissitudinesque in sequenti nummo recensebimus.

Digitized by Google

dolos pertimeſceret, eam carceribus inclùſit, & Joannem XI. tunc Summum Pontificem, quem mater ex eodem Alberico (1) genuerat, ſub cuſtodia juſſit detineri. Eà injuria exulceratus Ugo, proximo anno armis ad vindictam comparatis Romam properavit, ſummaque vi obſidere cœpit. Sæpiùs oppugnatio tentata, ſed ſemper acerrimè, fortiſſimèque ſe defendentibus Romanis, repulſus: quibus cladibus deterritus Ugo, ne in pejus res ſuæ laberentur, Romano agro populationibus vaſtato, ad ſuam ſedem revertitur. Annò verò DCCCCXXXVI. novam tenta-

(1) Sigonius de Regno Italiæ Lib. VI., & Baronius in Annalibus Eccl. ad annum DCCCCVIII. Liutprandi auctoritati innixi, Joannem XI. ex Marocia, & Sergio III. Summo Pontifice ortum traxiſſe memoriæ prodidere; cæteris coævis Hiſtoricis hæc ſilentibus. Liutprandus Sergii temporibus puer erat, quæque de hoc Pontifice calumnioſi temerè ſentiebant, & a famoſis libellis in ejus odium contextis delibaverat, pro veris ſuæ Hiſtoriæ, non paucis erroribus fœdæ, intexuit; ex qua eruitur quòque, ſcriptorem in Romanos Pontifices parùm æquum fuiſſe, & nullam iis adverſandi occaſionem amiſiſſe. Verùm quum celeberrimi Muratorii ſtudio nonnullorum maximæ auctoritatis Virorum ſcripta è tenebris eruta in lucem apparuerint, ex hiſce Liutprandi commentum facilè eſt detectum, atque ex Sergio haudquaquam, ſed ex Alberico natum manifeſtè evincitur; conſtat enim tribus viris Marociam nupſiſſe, Alberico ſcilicet, Guidoni, & Ugoni, & ex Alberico Albericum alterum, & Joannem peperiſſe. Et ſanè ſi æqualium Hiſtoricorum teſtimoniis fidem tribui convenit; nobis primùm occurrit Frodoardus, qui hoc ipſo tempore florebat, in Chron. apud Du-Cheſne hæc habens. *Nuntiatumque Johannem Papam filium Mariæ, quæ & Marozia dicitur, ſub cuſtodia detineri a fratre ſuo nomine Alberico, qui matrem quòque ſuam Marociam clauſam ſervat* —. & iiſdem fermè verbis hoc repetit in Chron. Remenſi lib. 4. cap. 24. Huic adſtipulatur Anonimus Salernitanus ejuſdem ſæculi ſcriptor Paralipom. P. 2. Tom. 2. Rer. Ital. Script. ſic ſcribens — *Eo tempore Sanctæ Sedi Romanæ præerat Papa Johannes filius cujuſdam Alberici Patricii*. In eadem ſententia verſatur Leo Oſtienſis, qui in Chron. lib. 1. hæc habet — *Johannes Undecimus natione Romanus Alberici Romanorum Conſulis filius*. Hæc quòque latiùs, accuratèque exponuntur a Muratorio in Annalibus ad annos DCCCCIV. & XI., qui validiſſimis argumentis malignorum, & vulgi fabulas expungit, & quæ in contrarium nonnulli retulere, refellit. Quiſquis ergo, ut libebit, ſentiat; ego verò tanti viri dictis acquieſco, neque me pœnitet hujus eſſe ſententiæ.

Digitized by Google

taturus fortunam ad circumvallandam Urbem aggreditur, qua in obsidione tanta rei frumentariæ difficultate est oppressus, ut ad pacem petendam cogeretur, qua cum Alberico firmata, a vano proposito potiundæ Urbis omnino recessit. Post hæc quum Ugo Italiæ populos superbis premere imperiis cœpisset, & se invisum ob suas tyrannides, libidinesque (1) Principibus reddidisset; hi fœdere inter se inito, de eo expellendo cogitarunt, & Berengarii Eperodiæ Marchionis opem implorarunt. Anno ergo DCCCCXLV. Berengarius haud multo succinctus milite in Italiam descendens, Fœderatorum auxiliis firmior factus Regni curam suscepit: quo inopinato adventu exterritus Ugo, quum hostis vires superare diffideret, & quanto sui odio Italia teneretur, animadverteret, prudenti usus consilio, ad avitum Principatum anno proximo tristis repetiit. Post Ugonis discessum penes Berengarium, & Lotharium summa rerum fuit. Hic quartum post annum, quum Taurinum se contulisset, veneno, ut rumor invaluit, ei a Berengario propinato, in juventutis flore evanuit, unicà tantùm relictà filià, Emma nomine, ex Adheleida uxore, Rodulphi Burgundiæ Regis filià, susceptà, quam duxerat anno DCCCCXLVII. Adheleida verò post excessum Mariti iniquam experta fuit fortunam, cujus insultus magni animi constantia, ut dicemus in sequenti nummo, superavit.

In circulo secundi summæ raritatis argentei nummi legitur BERENGARIVS, & in medio REX: habet postica pars in area urbis nomen PAPIA literis circumscriptis ALBERTVS (2) II.

(1) Adeo Ugo in Venerem abiit, ut in ea studia sua omnia reposuisse videretur: itaque diversarum fœminarum vesano amore correptus tres præcipuè infimæ conditionis summopere adamavit, Bezolam nempe, Rozam, & Stephaniam, (maximâ hercle Bertæ uxoris injuriâ, cum qua se commiscere renuebat), atque ex eis filios & filias procreavit. Ex Bezola Bosonus, & Berta prodiere, hæc Romano juniori Græcorum Imperatori nupta, ille Placentiæ Episcopus renuntiatus; ex Roza summæ pulchritudinis filiam sustulit; & ex Stephania Theobaldum Archidiaconatus dignitate in Mediolanensi Ecclesia insignitum.

(2) Licèt a nonnullis Historicis Berengarii filius Adalbertus appelletur, ego verò nummi auctoritate, aliorumque scriptorum testimonio fretus Albertum dicam: & quis est qui non sciat, non paucos hujusce ævi eruditos viros nummorum ope Historicorum dicta emendasse?

Digitized by Google

REX. Poſt elatum Lotharium, Comitiis eodem anno Papiæ habitis, Berengarius Eporodiæ Marchio, & Albertus ejus filius in Reges Italiæ electi, & die XV. Decembris Papiæ coronati ſunt. Berengarius ſub initium imperii nulli rei magis ſtuduit, quàm filii conjugium cum Adheleida Lotharii relicta, venuſtate vultus, & morum ſanctitate celebri, procurare. Petitionis fœditate icta mulier quum Regiis votis fortiter ſemper reſtitiſſet, Berengarius ira incenſus, Reginam gemmis, atque omni ſupellectili denudatam, una tantùm pediſſequa comite, in arcem Gardæ ad lacum Benacum aſportavit, & arctæ cuſtodiæ tradidit: execrandum ſanè facinus, unde maximum dedecus penes Italos reportavit. Adheleida quum per quatuor menſes aſperitatem loci æquo animo ſuſtuliſſet, tandem Martini Sacerdotis ope liberata, ad Athonem Canuſſii Regulum ſe recepit, ac ſupplex miſeriæ ſuæ ſubſidium imploravit. Atho ſumma benignitate, honorificentiàque exceptam Othoni Germaniæ Regi per epiſtolas commendavit, nec vanæ ejus præces fuere: etenim ſequenti anno, qui fuit nongenteſimus quinquageſimus primus, ipſe cum validis copiis in Italiam properavit, nulloque obice ſub initium Octobris Papìa potitus eſt; ibique Natalitiis Feſtis celebratis, Adheleidam, admirandis ejus virtutibus captus, ſumma cum magnificentia, ſplendidiſſimoque apparatu, Matrimonio ſibi copulavit; & paucos poſt menſes, Conrado Lotharingiæ Duce ejus Genero cum juſto Præſidio ad Papìæ cuſtodiam relicto, in Germaniam cum Sponſa (1) remeavit. Poſt hæc Berengarius, rebus cum

(1) Adheleida ubi in aula Sponſi conſedit, maximo cum ardore ad pietatis ac Religionis ſtudia ſe convertit. In ſublevandis pauperibus ſemper intenta ſæpiùs propria manu ſingulis eleemoſinam tribuebat, miſerabilioreſque veſtimentis, vel aliis munuſculis ſublevabat; neque ullum munificentiæ ſuæ præſcripſit modum in Virginibus, Viduiſque ſuccurrendis: ob hæc ergo, aliaque edita ſpecimina adeo ſubditorum animos ſibi devinxit, ut eorum ſtudia in ſui benevolentiam, ac devotionem ſummopere accenſerit. Ottone, quem quatuor filiorum, Henrici nempe, Brunonis, Ottonis II., & Adheleidæ patrem fecerat, è vivis ſublato anno DCCCCLXXIII., apud Ottonem filium, qui in vita patris fuerat a Joanne XIII. anno DCCCCLXVII. Imperiali corona redimitus, conſedit. Verùm quum is quintum poſt annum a de-

Digitized by Google

cum Ottone compositis, de Athone vindictam sumpturus ad circumvallandum Canuffium, naturæ, & artis opere munitissimum, anno DCCCCLIII. se contulit. Arx vehementissimè oppugnata hostium conatus per triennium illusit; verùm quum ad extremam cibariorum ventum esset angustiam, Atho, ut suis rebus consuleret, Ottonis opem implorat. Otto militaribus copiis, quæ visæ sunt, Lantulpho filio datis, is Papiam adoritur, & urbe, nemine prohibente, sui juris facta, in hostem signa contulit, consertisque manibus victor evasit. Verùm quum mortalium felicitas facilè in dolorem vertatur, Lantulphus proximo anno DCCCCLVII. gravi morbo correptus VIII. Idus Septembris è vivis excessit: corpus, utì edixerat, Moguntiam delatum, magnà funeris pompà in Ecclesia Sancti Albani tumulatur. Eo successu elati Reges quum omnia vi magis, quàm jure agere cœpissent, & plura iniqua in Populos, & maximè in Sacerdotes, ac Præsules perpatrarent: Joannes XII. tunc Summus Pontifex hisce malis consulere cupiens, missis in Germaniam Nunciis, Ottonem ad defendendam Ecclesiam, promissà imperiali coronà, excitavit; & ipse acriùs in ultionem incensus, rebus ad grave gerendum bellum præparatis subsequenti anno in Italiam descendit. Quod ubi ad Reges delatum, tantus timor eos invasit, ut Berengarius ad Castrum Sancti Leonis.

a debita erga matrem veneratione, Theophania uxore, quam duxerat anno DCCCCLXXII., præcipuè instante, defluxisset, & ejus animum crebris injuriis exulceraret, ut quieti suæ consuleret, in Burgundiam se contulit; ubi a Conrado fratre, & Mathilde uxore maxima comitate excepta, quamplurima ibi suæ pietatis experimenta edidit. Pace septennio post cum filio conciliata, reliquum vitæ suæ tempus in cultu Dei promovendo exegit: aliquot Monacorum, atque Monialium Cœnobia extruxit, eorumque inservientibus splendidam alimoniam assignavit, inter quæ illud maximè memorandum sub nomine Sancti Salvatoris apud Papiam, quod Monachis Sancti Benedicti indulsit, & multis prædiis locupletavit, atque Privilegiis honestavit. Anno verò IM. quum in Burgundiam ad componendas discordias inter Rodulphum nepotem, & subditos coortas seccessisset, gravi ibi morbo pressa die XVI. Decembris meritis plena in pace quievit, & ejus corpus Saletiæ summa cum veneratione sepulturæ traditur. Multa circa illius sepulchrum miracula subsecuta indubiam ejus sanctitatis fidem præbuere.

Digitized by Google

nis in Feretrana Provincia ſitum confugerit, & Albertus Camerinum ſe receperit. Interea Otto ovans Papiam ingreſſus paucos poſt dies Mediolanum petiit, ibique in Templo Sancti Ambroſii maxima cum ſollemnitate a Walperto Archiepiſcopo in Regem Italiæ inungitur, & ferreà coronà condecoratur: Romam inde cum honeſtiſſima Optimatum caterva profectus a Pontifice, utì convenerant, in die Purificationis Beatæ Mariæ Virginis Imperatoriis inſignibus fuit exornatus, & Auguſtus ſalutatus. Hoc eodem anno Otto, nonnullis Italiæ perluſtratis Urbibus, Papiæ hyemavit; poſtero ineunte Vere Berengarii ulciſcendi avidus, ad obſidendum Caſtrum Sancti Leonis cum toto exercitu properavit; ibique quum ei nuntiatum, novos in Urbe tumultus obortos, copiarum parte in obſidione relicta, eò properè cum reliqua ipſe recurrit. Romanis rebus, ut tum licuit, compoſitis, ad confirmandam obſidionem immittit: quo tempore Berengarius, ut ſe auxiliis deſtitutum agnovit, facta deditione, in Bavariam unà cum Willa uxore relegatur, ibique duos poſt annos mœrore plenus, ac luctu finem vitæ ſuæ confecit. Interea Albertus vitæ ſuæ metuens, Italiâ relictâ, in Corſicam confugit, deinde ad Nicephorum Focam Græcorum Imperatorem opem imploraturus ſe contulit. Re non ex voto ſucceſſa, in Italiam revertitur, atque huc illucque diſcurrens, quoſcumque in Ottonem arma inferre, ſed perperàm, excitabat; atque omnes ab eo ſibi oblatas pacis conditiones irato animo ſemper rejecit. Quo tempore, & loco Albertus ex hac vita demigraverit, non una eſt veterum Scriptorum ſententia, ideoque nihil certi referre poſſumus.

PARMÆ.

I. PRimus argenteus nummus exhibet in anteriori parte Adriani VI. Summi Pontificis vultum, verbis in limbo poſitis HADRIANVS ELECT*us* PONT*ifex* MAX*imus*: in poſteriori ipſius ſtemma cum epigraphe SECVRITAS VRBIS PARMAE. Gallis ab armis Leonis X., Cæſareis conſociatis, tota fermè Mediolanenſi ditione anno MDXXI. exturbatis, Parma, & Placentia ab ipſis occupatæ iterum in Eccleſiæ poteſtatem devenere; quo itidem anno, Leone Kal. Decembris fatis functo, po-

Digitized by Google

postero V. Idus Januarii a Patribus inter se dissidentibus Cardinalis Adrianus, Batavus Trajecti patre naupego natus, qui in Hispania versabatur, fuit in ejus locum subrogatus. Quod ubi Parmensibus innotuit, omnium primi in novi Principis cultum nummos obsignare cœperunt; cumque ignorarent quo nomine vellet appellari: baptismale, quod inde retinuit, in eis inscripserunt.

Petro Aloysio Farnesio, qui fuerat a Paullo III. ejus patre anno MDXLV. Parmæ, & Placentiæ Dux renuntiatus, tertio imperii anno vix inchoato, a conspiratoribus ob ejus scelera trucidato; Octavius filius Parmenses tantùm res cœpit administrare, & octo post annos in Placentiæ pacificam possessionem, ut alibi diximus (1), immissus est. Octo sub hoc Principe Parmæ signatos nummos in postrema Dissertatione evulgavimus; modò verò æreis, & cæteris prætermissis, qui in vetustate CC annos non exsuperant, quinque dabimus; quorum primus, & in ordine secundus, aureus est, ostenditque in antica parte Farnesiæ gentis stemma lemmate circumseptum OCT. FAR. PAR. ET. PL. DVX. II. *Octavius Farnesius Parmæ, & Placentiæ Dux Secundus*. In postica mulieris super sellam supinùm recubantis imaginem hujusmodi cum epigraphe SECVRITAS. P. PARME. Inferiùs denotatur tempus, quo fuit obsignatus, anno nempe 1557. II.

Hoc eodem anno percussus est argenteus tertius, in cujus prima facie insculptum apparet ejusdem Ducis gentilitium scutum, cum ejus nomine in circuitu. A tergo depictam cernimus Sancti Hilarii Episcopi urbis Protectoris protomen, baculum pastoralem dexterà sustinentis, cum inscriptione S. HILARIVS. EPS. PAR. P. III.

In area quarti argentei inspicitur pariter Octavii Icon Tesseraria, & ejus nomen in orbe exaratum. Aversa pars ostendit Sanctum Thomam Apostolum urbis Protectorem stantem, verbis in gyrum positis DIVO THOME PARmæ PROTectori. IV.

Anterior pars quinti argentei nummi similis est antecedenti: demonstrat postica Jesus Christi sedentis imaginem in actu coronandi Mariam Virginem matrem suam in genua provolutam, V.

cum

(1) Vide quæ dixi in postrema Dissertatione pag. 71. 72. & 73.

Digitized by Google

cum Spiritu Sancto in aera; ſubtus urbis nomen PARMA, ſubſequentibus in orbe vocibus COLONIA CIVIVM ROMANORum: in exergo XX., ſolidorum nempe numerus Monetæ (1) aſſignatus. Thuſcis, qui primùm Parmam condiderant, expulſis, ab Gallis Boiis fuit occupata, & hiſce a Romanis profligatis, eò Marcus Æmilius Lepidus, Titus Ebutius Carus, & Lucius Quintius Criſpinus Triumviri Coloniam deduxerunt anno ab Urbe condita DLXX. Marco Claudio Marcello, & Quinto Fabio Labione Conſulibus. Colapsà in Italia Romanorum potentià, Civitas ſub Gothorum, inde Longobardorum jugo ingemuit: & hiſce a Carolo Magno domitis, variis deinde Dominis, prout ſors tulit, paruit ad annum MDXLV., quo tempore ſub Eccleſiæ poteſtate quum eſſet; Paullus III. tunc Summus Pontifex Familiæ ſuæ, ut ſuperiùs innuimus, urbem addixit, ſub qua ſtetit ad annum MDCCXXXI., quo Antonio Duce ſine prole defuncto, imperium ad Carolum Philippi V. Hiſpaniarum Regis, & Elizabethæ Farneſiæ filium delatum, qui quum fuiſſet in Regem utriuſque Siciliæ inunctus, & coronatus, Parmenſium rerum curam aliquot poſt annos ſuſcepit Philippus ejus

(1) Ex Solidorum numero in hac moneta ſignato manifeſtè eruitur, fuiſſe identificam, atque realem Parmenſem Libram illius ævi; quæ quidem moneta ad lancem Venetam, qua ſemper utor, examinata, quum centum granis in pondere correſpondeat, hinc fit, quod hodie expenderetur pro obolis duodeviginti, & denariis quatuor Pontificiæ monetæ; neque mirum ſi tanti fieret tunc temporis hæc Libra, dum hodie obolorum quinque pretium vix æquat, quum conſtet anterioribus annis majorem quòque exiſtimationem habuiſſe. Ex indubiis Documentis excerpſimus aureum Ducatum Venetum vulgo *Zecchino* anno primo Sæculi quintidecimi cum quinque & triginta tantùm Parmenſibus Solidis conveniſſe, quæ quidem aurea moneta quum eo tempore cum granis 782. argenti commutaretur, ſubducto calculo in qualibet Libra 447. grana argenti ſtatuere neceſſe eſt, quorum valor ad obolos octoginta tres, & denarios duos aſcenderet. Neque diu ea in exiſtimatione hæſit Libra; invenimus enim eumdem aureum Ducatum annis 1410 — 1423 — 1426 — 1446 — cum ſolidis 38 — 53 $\frac{1}{2}$ — 57 — 64 — ſtetiſſe, ac per conſequens Libram obolos 76. 9 — 54. 1 — 51. 1 — 45. 9 — æquaſſe: & ſic perenni fluctuatione pretii eo uſque aureus Ducatus devenit, ut hodie pro Libris 44. computetur.

Digitized by Google

Digitized by Google

NEAPOLIS ET SICILIÆ



PAPIÆ

PARMÆ

PERVSIÆ

Digitized by Google

ejus frater, fatali casu extinctus anno MDCCLXV.; & ei successit Ferdinandus filius, sub cujus felicibus auspiciis hodie Civitas conquiescit.

PERUSIÆ.

In anteriori primi argentei nummi fronte insculptus apparet Griphus saliens, urbis stemma, addita in limbo epigraphe AVGVSTA PERVSIA. Area posticæ exhibet literam P. urbis nominis initialem, in cujus circulo legitur S. ERCVLANVS, qui tamquam Patronus principalis a Perusinis veneratur, & colitur. I.

In argenteo secundo repræsentatur Paulli III. Summi Pontificis Gentilitium scutum cum ejus nomine in circuito: aversa pars illustratur imagine Sancti Herculani Urbis Episcopi, ac Protectoris dexterà benedicentis, sinistra pastoralem virgam sustinentis, cum inscriptione in margine S. HERCVLANVS. Perusià a Rodulpho Baliono per insidias occupata anno MDXXXIV., proximo, Tyranno expulso, fuit a Paullo recuperata; cumque quatuor post annos Perusini ab Ecclesia desciviissent, Pontifex, ut frænum eis imponeret, Arcem in urbe excitavit, a quo tempore ad ævum hoc nostrum in ejus fide perstiterunt. II.

PISARUM.

AD hanc Urbem meo videri spectat æreus primus optimæ conservationis nummus, in cujus medio aquilam coronatam expansis alis, & in limbo quatuor tantùm literas insculpsit artifex SANA, quibus si addantur hæ duæ PI ob areæ angustiam prætermissæ, verbum PISANA conficitur. In adversa eminet Crux cum hac voce in circulo exarata IMPERIALIS; & sic interpretandæ sunt inscriptiones; *Civitas Pisana urbs Imperialis*. I.

Æreus secundus argento mixtus præfert literam P, ad cujus latus erectus cernitur Pugio cum inscriptione in margine PISANI COMVNIS. Alterius partis medium occupat Aquila expansis alis, hoc tantùm verbo circumsepta IMPERATOR. II.

In antica parte tertii ex eodem metallo compacti exhibetur Mariæ Virginis sedentis imago, puerulum Jesum in ulnis sus- III.

Digitized by Google

ſtinentis, ſculptis per gyrum literis PROTETRIX. In adverſæ frontis circulo legitur CIVITATIS, & in medio urbis nomen PISE, literis in formam crucis diſpoſitis. Piſani priſcis temporibus terrà, marique potentes, devictis anno MLXII. ad Panormum Saracenis, ex eorum ſpoliis ad patriam reverſi perauguſtum Templum a fundamentis excitarunt, & Matri Dei conſecrarunt; quo quidem tempore in Patronam elegerunt, & ejus imaginem in monetis pingere cœperunt.

IV. Ex infimo argento conflatus quartus oſtendit in prima fronte ejuſdem B. Mariæ Virginis imaginem, & ejus limbus hac inſcriptione ſignatur PROTEGe VIRGO PISas. Poſtica illuſtratur Cruce, literis in orbe poſitis CIVITAS PISANA.

V. Effigies Deiparæ inſpicitur pariter in quincto argenteo nummo, cujus circulus hiſce vocibus inſcribitur PROTEGE VIRGO PIsas. Alterius partis aream tegit Aquila corona redimita, cum epigraphe FEDERIcus IMPATOR.

VI. Argenteus ſextus ejuſdem Virginis ornatur imagine, ad cujus latus roſam depinxit artifex, literis hinc inde diſpoſitis PISE. Alterius partis medium occupat Aquila, addita inſcriptione FEdericus IMPERATOR.

VII. Poſtremus argenteus ſimilis eſt antecedenti, ſi roſam excipias, in cujus loco concha pectinata inſpicitur. Præclara Piſanorum geſta, atque calamitates ſub diverſis Tirannis paſſas in aliis elucubrationibus, & maximè, in edita anno MDCCLXVII. pag. 117. & ſeq. expoſuimus, quas heic prætereundas cenſemus, ne recoctam, ut dicitur, crambem exhibeamus.

PLACENTIÆ.

I. UNus tantùm æreus hucuſque non evulgatus Placentiæ percuſſus in noſtro Muſæo ſervatur nummus, in cujus antica parte cernitur Lupa, urbis inſigne, lemmate circumſepta VIGIL 3 FIDA. Oſtentat poſtica binas claves decuſſatas, quibus ſupereminet Tiara Pontificia, verbis in gyrum poſitis CVSTODIA PLACentiæ. Conſule Diſſertationem typis datam anno MDCCLXVII., in qua de hac urbe non pauca ſcripſi.

RE-

Digitized by Google

RECINETI.

IN circuli ſummitate primi argentei nummi inſpicitur exiguum Scutum, in quo inſculpta apparet Crux, ſubſequentibus literis S. MARIA, quarum ultima in medio eſt collocata. In margine alterius partis exhibetur pariter idem Scutum, addita inſcriptione DE RECANETO. quatuor poſtremis literis in area ad formam crucis diſpoſitis. I.

Æreus ſecundus præfert in area exilientem Leonem Urbis ſtemma, & in circulo hanc inſcriptionem DE RECANATI. Averſæ partis medium implet Crux hiſce vocibus circumſepta S. MARIA DE LORETA. Helvia Recina antiquiſſima Piceni urbe ab Alarico Gothorum Rege ſub quinti Sæculi initium diruta, atque incendio deformata, Cives, qui cladi ſupererant, novas ſedes quærentes, in diverſa loca demigrarunt, & horum plurimi in collis planitie oppidum condiderunt, & a nomine exciſæ Urbis Recinetum dixerunt. Gothis a Narſethe Juſtiniani Imperatoris armorum Duce devictis, & Longobardis, qui non multos poſt annos totum Picenum invaſerant, a Carolo Magno ab Italia expulſis, Recinetum, & cæteræ Marchiæ Civitates ſub poteſtate Pontificum eſſe cœpere. Paruere deinde Picentes, prout ſors tulit, diverſis Principibus; paruere Tyrannis, inter quos Fridericus II. Imperator recenſendus, qui totam fermè Provinciam ſuo adjecit imperio; quo quidem tempore quum Auximates Cæſareis partibus adhæſiſſent, Gregorius IX. tunc Summus Pontifex, ut eorum inſaniam ulciſceretur, Auximum anno MCCXL. Epiſcopatu exuit (1), & Recinetum tranſtu- II.

(1) Ad Urbani IV. uſque tempora ſuo viduata Paſtore urbs ſtetit: etenim Pontifex quum in Manfredum Siciliæ Tyrannum, qui Eccleſiaſticam ditionem rapinis, & populationibus vexabat, bellum ſacrum indixiſſet, & Picentium auxilia imploraſſet: horum primi Auximates arma ſumſere, & pro tuendis ejuſdem ſedis juribus, gravia rerum damna, & perſonarum ſuſtinuerunt: quibus motus Urbanus, ut eis gratias rependeret, priſtinum Epiſcopatus honorem reſtituit, Præſulemque creavit Benvenutum Seſtivolum adeo morum probitate, ac pietate celebrem, ut poſt ejus obitum meruerit inter Sanctos connume-

ſtulit, urbiſque titulo oppidum condecoravit. Tanto honore Reci-

merari. Hoc porro non omittendum duximus, Cathedralem hanc Eccleſiam tribus ab hinc annis Guidoni Patritio Ferrarienſi ex nobiliſſima Calcagninorum familia orto fuiſſe aſſignatam, cujus præclara geſta placuit nobis in pauca congerere. Is Ferrariæ in lucem editus VII. Kal. Octobris MDCCXXV. patrem habuit Cæſarem Marchionem, Matrem verò Catharinam Marchioniſſam ex antiqua Obiciorum Gente, qui aliquando Lucæ Principatum tenuere. Sublimioribus in Mutinenſi Nobilium Collegio peractis ſtudiis, Romam ſe contulit Guido, ibique Juriſprudentiæ Laurea inſignitus tantam gratiam apud Benedictum XIV. promeruit, ut fuerit inter Prelatos domeſticos cooptatus: Advocatus indè Conciſtorialis renuntiatus, eo in munere quum ſemper ſpecioſa incorruptæ juſtitiæ, virtutis, prudentiæque ſuæ ſigna edidiſſet, Clemens XIII. Nuncium ad Ferdinandum utriuſque Siciliæ Regem anno MDCCLXV. deſtinavit. Ardua hac provincia ſuſcepta, onus ſibi concreditum tam ſingulari prudentia, dexteritate, & ſplendore ſuſtinuit, & tantam gratiam apud Regem, & aulæ Proceres promeruit, ut nullus alius quàm Calcagninus exoptaretur. Rebus candida fide decennium actis, ad Urbem accitus Præfectura Pontificii Cubiculi condecoratur, deinde in Conciſtorio habito XIII. Kal. Junii MDCCLXXVI. a Pio VI. Auximanus Epiſcopus deſignatur, & Cardinalis titulo S. Mariæ in Traſpontina declaratur; tota Urbe meritiſſimi Præſulis honoribus applaudente. Hiſce fultus dignitatibus Guido, quum Urbem noſtram humaniſſimis ſuis epiſtolis conſciam reddidiſſet; Cives in lætitiæ ſigna effuſi ſua quòque publicè gaudia oſtendere decrevere. Hinc in maximi cultus argumentum fanalia tum in Foro, & Magnatum Ædibus, cum in viarum feneſtris tribus noctibus eluxère; & maximè commendandi incolæ viæ vulgo *La Giara*, qui non paucis impenſis ingentes ligneas Moles erexère, Purpurati depictis Inſigniis, quamplurimiſque facibus ſumma arte diſpoſitis exornatas; aliaque ſinceriſſimæ benevolentiæ erga hanc inclytam Familiam ſigna edidère. Antequam porro Concivis noſter ad Epiſcopalem Sedem ſuam ſe reciperet, Patriam, quam ſemper jugi ſtudio dilexerat, inviſere, & Ferrarienſium animos recreare decrevit. Itaque eodem anno VI. Kal. Sextilis huc acceſſit, & apud Marchionem Franciſcum fratrem hoſpitatus eſt; ad quem inviſendum Urbis Primates, & alii quamplurimi confluxere, inter quos Auctor ſingulari obſequio, & amoris ſignificatione exceptus. Septem apud nos peractis diebus ad Fuſignanum antiquum ſuæ Gentis Feudum ſe contulit, ibique ad Subditorum præces octo diebus diverſatus, (quo tempore feſtivi ignes, Academiæ, Equorum curſus, plurimique lætitiæ plauſus fuere), ad dirigendum Gregem ſibi commiſſum perrexit.

Digitized by Google

cinatenſes inſigniti majorem quòque gratiam a Cælo reportarunt anno MCCXCIV. cùm Sacra Mariæ Virginis Domus (1) fuit Angelorum miniſterio in eorum ditione, & in Sylva nobilis fœminæ, Lauretæ nomine, collocata. Ad annum uſque MCCCXIII. in fide Pontificum Recinatenſes ſtetere, quo tempo-

(1) Captà a Saladino Babiloniæ Rege Hieroſolimà; Chriſtianiſque in Syria degentibus partim cæſis, partim aliò abire compulſis: ſacratiſſima Mariæ Virginis Domus, in qua Chriſtum Dei filium de Spiritu Sancto ipſa concepit, anno MCCXCI. VII. Idus Maji Angelorum miniſterio ex Civitate Nazareth ſublata, & in Dalmatiam translata, fuit in planitie ſumma Collis inter Terſactum, ac Flumen oppidum ſiti, collocata; quo in loco quum ad annum MCCXCIV. conſtitiſſet, divinitùs in Picenum IV. Idus Decembris transferetur, & in Sylva agri Recinatenſis deponitur, ibique quum per octo menſes permanſiſſet, ad Collem duorum fratrum Recinetenſium mille paſſibus a Sylva diſſitum confugit; deinde poſt quatuor menſes ad evitandas rixas inter ipſos fratres coortas, non procul in publica via, & ubi nunc colitur, evaſit. Hùc ergo concurrentibus vicinis Populis, progreſſu temporis auctus locus in oppidum crevit, & a Lauretæ nomine, cujus dominii, ut ſuperiùs diximus Sylva erat, incolæ Lauretum dixerunt. Recinetenſes interea, ut ſuum erga B. Virginem ſtudium, pietatemque oſtenderent, anno circiter MCCCXXV. Templum circa ſacram Domum ære publico a fundamentis erexerunt, quod poſtea Paullus II. amplà formà reædificavit, & ad faſtigium uſque perduxit. Julius verò II. Bramantis celeberrimi Architecti opera uſus, complevit, & ad inſtar Arcis extruxit; & ſicuti Paullus II. Lauretanam Baſilicam ab Recinetenſis Epiſcopi juriſdictione exemptam, & Apoſtolicæ ſedi ſubjectam fecerat; ita Julius Lauretum a Recinetenſium ditione exemit, & ſui juris fecit, Prætore cum mixto imperio ei aſſignato. Anno verò MDXX. Leo X., qui Julio ſucceſſerat, ut oppidum a populationibus, & hoſtium incurſionibus tutum redderet, foſſis, mœnibus, ac propugnaculis circumvallavit, & armis cùm ad defendendum, tùm ad feriendum communivit: tandem Sixtus V., ut novis gratiis Lauretum cumularet, in Civitatem erexit, & Epiſcopali Cathedra inſignivit anno MDLXXXVI. IX. Kal. Aprilis, Franciſco Cantucio, qui primus Sedem tenuit, DCCC. annuis Scutis pro alimoniis aſſignatis. Cæterùm Gregorius XIV., ne Sixto inferior videretur, Lauretanam Diœceſim anguſtam eſſe decernens, anno MDXCI. die XVIII. menſis Decembris eidem Recinetenſem adjecit Eccleſiam; Decretoque ſanxitum, ut Lauretanus Epiſcopus etiam Recinetenſis cenſeretur.

Digitized by Google

pore cum circumvicinis Populis inito fœdere in libertatem se vindicarunt. Hisce ausibus cupiens occurrere Amelius de Lautrico pro Romana Ecclesia Marchiæ Gubernator Generalis, ad retundendam Rebellium audaciam, quintum post annum Pontium cum tercentis & amplius militibus Recinetum immisit. At Cives, occultis auxiliis ab Auximatibus impetratis, Pontium cum toto suo comitatu trucidarunt, atque in eorum corpora insævierunt, per fœdissima enim compita tracta, atque injuriis graviter lacessita. Quod ubi ad Joannem XXII., qui Avenione versabatur, delatum, epistolas amoris plenas Recinatensibus dedit, in quibus pollicebatur, si ad bonam frugem se recepissent, & a deviis resipuissent, se omnium offensarum futurum immemorem, aliàs ad enuntiationem pœnarum in epistolis contentarum processurum. At Cives prosperis successibus elati, quum ejus monitis parere renuissent, Pontifex anathemate eos percussit, Episcopali dignitate exauctoravit, sede Maceratam, quam Urbem dixit, translata. Post hæc Recinatenses pervicacia deposita, quum ad Martini IV. clementiam confugissent, in gratiam recepti, & Episcopali Cathedra iterum condecorati. Et hæc de Recineto satis. Qui plura desiderat, adeat Agri Piceni Historiam a Pompejo Campagnono exaratam, & Maceratæ typis datam anno MDCLXI., ex qua hæc pauca delibavi.

REGII.

ANno MDXII. in die festo Paschæ, qui fuit tertiò Idus Aprilis, deletis ad Ravennam a Gallico exercitu Ecclesiasticis Copiis cum Hispanicis consociatis; Julius II. tunc Summus Pontifex restauratis viribus, & aliquot Helvetiorum cohortibus mercede conductis, in Alphonsum Ferrariæ Ducem, qui eo in bello Gallis præsto fuerat, & fortem operam navaverat, arma movit; Regium militari præsidio destitutum eodem anno occupavit, & nummos cusit, quorum unum in prima Dissertatione, alterum in secunda evulgavimus. Julio, anno qui insequutus, è vivis sublato successit Leo, sub cujus imperio primus ex ære conflatus obsignatus est. Ostendit hic in antica facie binas claves in decussim trajectas cum Tiara superposita, ad-

I.

UNIV OF MICH

Digitized by Google

PISARVM

I



II



III



IV



V

VI

PLACENTIÆ

VII

RECINETI

I

II

REGII LEPIDI

I



II

III

IIII

Digitized by Google

addita inſcriptione: LEO X. PAPPA. Dat poſtica urbis ſtemma, & epigraphen. REGIVM. LEPIDI. Stetit urbs ſub Eccleſiæ poteſtate ad annum MDXXIII., quo ab ipſo Alphonſo fuit recuperata, & adhuc ſub inclyta Eſtenſi Familia efflorescit.

Teſſerarium Eſtenſis Familiæ ſcutum repræſentatur in prima ſecundi argentei nummi fronte, verbis in gyrum poſitis II.
NOBILITAS ESTENSIS. In adverſa Sanctus Proſper, quem peculiari honore Regenſes colunt, urbis Epiſcopus, atque Patronus principalis, cum hac circumducta inſcriptione S. PROSPER EPS REGII. 1556. Hoc eodem anno quum grave inter Paullum IV. & Philippum Hiſpaniarum Regem gliſceret bellum (1), Hercules Regii Dux quàmvis invitus fuit a Pontifice totius exercitus ſupremus Imperator declaratus: verùm non multo poſt, ne ſe ab Hiſpani amicitia abalienaret, ſuſceptam provinciam ſponte dimiſit.

Argenteus tertius. Herculis II. ornatur protome, lemmate circumſepta. HER*cules* EST*enſis* DVX REGII. IIII., in exergo III.
denotatur tempus, quo nummus ex Officina monetaria prodiit, anno ſcilicet 1557. Dat poſtica Urbis inſigne, & epigraphen REGII LEPIDI. Eodem anno in nummo ſignato Hiſpanus Rex, rebus cum Pontifice compoſitis, in Eſtenſem arma vertit, & belli curam Octavio Farnelio Parmenſium Duci commiſit; & is idoneis collectis copiis primo impetu in agrum Regienſem penetratus, aliquot illius ditionis Oppida, ac loca nemine reſiſtente occupavit. Ejus porro conatibus Herculis Duces, maturè obviam proceſſi, amiſſæ ditionis partem recuperarunt, factaque ad portas Parmæ excurſione, incendiis, atque rapinis omnia fœdarunt: & hinc grave bellum exarſit, quod ad ſequentem annum continuavit, quo tandem honeſtis conditionibus pax inter partes firmata eſt.

Ejuſdem Herculis vultus inſpicitur pariter in æreo quarto, IV.
cum ejus nomine in orbe exarato. Poſticam occupat urbis ſtemma circumductis literis. REGIVM LEPIDI.

Exhibet quinctus ex eodem metallo conflatus in antica parte V.
ipſius Ducis caput, & nomen. In poſtica Beatæ Mariæ Virginis

(1) Plura de hoc bello dicenda haberemus; ſed heic reticenda ſunt, quum ſatis in poſtrema Diſſertatione pag. 85. & ſequ. diſſeruerimus.

Digitized by Google

PISARVM

I

II



III



IV

V

VI

PLACENTIÆ

VII



RECINETI

I

II

REGII LEPIDI

I

II

III

IIII

Digitized by Google

addita inſcriptione: LEO. X. PAPPA. Dat poſtica urbis ſtemma, & epigraphen. REGIVM. LEPIDI. Stetit urbs ſub Eccleſiæ poteſtate ad annum MDXXIII, quo ab ipſo Alphonſo fuit recuperata, & adhuc ſub inclyta Eſtenſi Familia efflorescit.

Teſſerarium. Eſtenſis Familiæ ſcutum repræſentatur in prima ſecundi argentei nummi fronte, verbis in gyrum poſitis NOBILITAS. ESTENSIS. In adverſa Sanctus Proſper, quem peculiari honore Regenſes colunt, urbis Epiſcopus, atque Patronus principalis, cum hac circumducta inſcriptione S. PROSPER. EPS. REGII. 1556. Hoc eodem anno quum grave inter Paullum IV. & Philippum Hiſpaniarum Regem gliſceret bellum (1), Hercules Regii Dux quàmvis invitus fuit a Pontifice totius exercitus ſupremus Imperator declaratus: verùm non multo poſt, ne ſe ab Hiſpani amicitia abalienaret, ſuſceptam provinciam ſponte dimiſit. II.

Argenteus tertius. Herculis II. ornatur protome, lemmate circumſepta. HER*cules*. EST*enſis* DVX REGII. IIII., in exergo denotatur tempus, quo nummus ex Officina monetaria prodiit, anno ſcilicet 1557. Dat poſtica Urbis inſigne, & epigraphen REGII. LEPIDI. Eodem anno in nummo ſignato Hiſpanus Rex, rebus cum Pontifice compoſitis, in Eſtenſem arma vertit, & belli curam Octavio Farneſio Parmenſium Duci commiſit; & is idoneis collectis copiis primo impetu in agrum Regienſem penetratus, aliquot illius ditionis Oppida, ac loca nemine reſiſtente occupavit. Ejus porro conatibus Herculis Duces, maturè obviam proceſſi, amiſſæ ditionis partem recuperarunt, factaque ad portas Parmæ excurſione, incendiis, atque rapinis omnia fœdarunt: & hinc grave bellum exarſit, quod ad ſequentem annum continuavit, quo tandem honeſtis conditionibus pax inter partes firmata eſt. III.

Ejuſdem Herculis vultus inſpicitur pariter in æreo quarto, cum ejus nomine in orbe exarato. Poſticam occupat urbis ſtemma circumductis literis. REGIVM LEPIDI. IV.

Exhibet quinctus ex eodem metallo conflatus in antica parte ipſius Ducis caput, & nomen. In poſtica Beatæ Mariæ Virginis V.

(1) Plura de hoc bello dicenda haberemus; ſed heic reticenda ſunt, quum ſatis in poſtrema Diſſertatione pag. 85. & ſequ. diſſeruerimus.

Digitized by Google

nis imaginem puerulum Jesum in ulnis gestantis (1) a Regiensibus *Gratiarum* dictæ, in cujus limbo legitur MAT*er*. GRATIE.

VI. Sextus in omnibus consonat cum antecedenti, & tantùm differt in inscriptione, qua Mariæ Virginis imago circumcingitur, quæ sic se habet MAT. PECTO. *Mater Peccatorum*.

VII. Æreus septimus demonstrat Ducis faciem, & nomen. Totam adversæ partis aream occupat ejusdem Ducis nomen cum duabus Aquilis hinc inde dispositis.

Totam ærei postremi aream occupant hæc verba HER. II. DVX IIII., in cujus postica cernitur urbis stemma, sculptis per
VIII. gyrum literis COMVNITAS REGII. Fuit Hercules Literarum cultor eximius, singulari clementia clarus, & ad conferendas gratias pronus. Obiit Ferrariæ, quam ædificiis, ac viis, (inter quas *Judeca* meritò recensenda), decoraverat, V. Nonas Octobris MDLIX., & ejus Cadaver in Ecclesia Monialium Corporis Christi sepulturam accepit. Quinque ei filii superstites fuere; Alphonsus nempè major natu, Patri in imperio suffectus; Aloysius sacra Purpura a Pio IV. MDLXI. insignitus; Anna Carolo Guisiæ Duci nuptui tradita; Lucretia Francisco Urbini Duci matrimonio copulata, & Eleonora, cujus laudes cecinit Torquatus Taxus, quæ nulli se junxit viro, sed virginitatis suæ florem ad mortem servavit.

---

(1) De sacra hac B. M. Virginis imagine a Regiensi populo summo in cultu habita, & de magnifico Templo in ejus honorem excitato fusiùs scripsi in enuntiata Differt. pag. 82. & sequ.

SA-

Digitized by Google

SABAUDIÆ.

IN area primi argentei nummi exhibetur ſcutum cum cruce, gentilitia Sabaudiæ Principum teſſera, ſcriptis per gyrum verbis AMEDEVS CO. SABAVD. DVX, quæ cum reliquis CHAß. IN ITAL. MAR. PRI. in limbo adverſæ partis, in cujus medio eminet Crux, exaratis conjungenda ſunt; hoc eſt, *Amedeus Comes Sabaudiæ, Dux Chablaſii, in Italia Marchio, Princeps.* Spectat nummus ad Amedeum V. cognomento *Magnus*, qui omnium primus in monetis Chablaſii Ducis titulo eſt uſus, & ab Henrico VII. Sacri Romani Imperii Princeps fuit declaratus: quinque & quadraginta regnavit annos, & MCCCXIII. viram poſuit. I.

Amedeus VIII. Sabaudiæ Comes, qui fuit a Sigiſmundo Imperatore anno MCCCCXVI. Ducis titulo condecoratus, imperii curam pertæſus, ſceptrum in manus Ludovici filii ſponte dimiſit MCCCCXXXIV., ſub quo ſecundus æreus pauculo argento mixtus nummus obſignatus eſt: oſtendit hic in anterioris frontis area Principis ſtemma cum quatuor circulis ſuperiùs, inferiùs, & ad latera diſpoſitis, & ejus nomen in circuitu LVDOVICVS DVX. In medio adverſæ inſculpta apparet litera A. verbis in gyrum poſitis SABAVDIE ET *Pedemontis*. II.

Sub eodem Ludovico percuſſus eſt tertius ex eodem metallo conflatus, in cujus medio exhibetur litera L, quæ cum reliquis VDOVICVS DVX in circulo collocatis conjungenda eſt nomen Principis indicantibus. A tergo cernitur Ducis teſſera, cum Provinciæ nomine in circuitu SABAVDIE. Fuit Ludovicus magni nominis Princeps, & tanta prudentia, ac comitate ſuos ſubditos rexit, ut omnium animos ſibi conciliaverit; deceſſit IV. Kal. Februarii MCCCCLXV. treſdecim poſt ſe relictis filiis ex Anna uxore Joannis II. Cypri Regis filia procreatis, quam duxerat anno MCCCCXXXII. III.

Carolus II., cui *Bonus* cognomentum fuit, Philippi filius Philiberto fratri ſucceſſit anno MDIV., eoque imperante argenteus quartus cuſus eſt: in ejus prima facie inſpicitur Ducis inſigne cum circumducta inſcriptione CAROLVS DVX SABAVDIE II. Sancti Mauricii equo inſidentis imagine illuſtratur poſtica cum IV.

Digitized by Google

ejus nomine in circuitu, & tribus figlis T. E. B., quas peritioribus Sabaudienſibus interpretandas relinquo. Hic eſt Sanctus Mauricius Thebeæ Legionis Præfectus, qui cum fortiter ſemper in Fide extitiſſet, & Diis ſacrificare renuiſſet, ſub Maximiano Imperatore unà cum ſuis militibus martirii palma coronatus eſt; & tamquam tutelaris, & Præſes a Sabaudienſibus ſumma veneratione colitur. Heic porro addere non inutile putamus, Equitum Ordinem in ejus cultum ab Amedeo VIII. (1) fuiſſe inſtitutum, qui vitam cum morte commutavit anno MCCCCLI.

Æreum quinctum ad eumdem Ducem ſpectare indicant Li-
V. teræ in Limbo primæ frontis conſcriptæ, quæ ſic ſonant; CAROLVS DVX SA*baudiæ* II., in cujus medio hæ figlæ conſpiciuntur F. E. R. T. hoc eſt *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*. Poſtica præfert Crucem & verba MAR*cbio* IN ITALIA T. E. B.

Eaſdem inſcriptiones, & crucem dat æreus ſextus; ex diverſa tamen matrice prodiiſſe, quis eſt, qui non videat. Sum-
VI. ma cum humanitate Sabaudienſibus rebus præfuit ad annum uſque MDXXXVI. quo Franciſcus Francorum Rex motis in eum armis Foſſano, Pinarolo, Cherio, Taurino, aliiſque Sabaudienſis Ditionis oppidis & locis brevi potitus eſt, & Carolum ſedium inopem vagari, & cum infortuniis colluctari uſque ad mortem coegit. Mœrore plenus ac luctu è vivis exceſſit Carolus Vercellis Cæſareo fultis præſidio XVII. Kal. Septembris MDLIII. Neque porro iniquæ ſortis inſultus poſt ejus mortem quievère; etenim Galli tertium poſt menſem, Vercellenſium perfidia, urbe occupata Ducis Theſauros, & Gazas ſibi vindicarunt.

Tenuit Principatum poſt Carolum Emanuel Philibertus filius rerum proſperè geſtarum gloria celebris, qui eo tempore in caſtris Caroli V. militabat, atque in eis ſumma cum laude ſe geſſit ad annum MDLIX., quo pace inter Cæſarem, & Gallum firmata, ad ſuum Principatum, ut in ea conventum, reverſus eſt. Is in imperio confirmatus nummos cœpit obſignare,
VII. quorum duos ex auro conflatos hìc dabo. In horum primo gentilitia Principis teſſera inſpicitur hiſce vocibus circumſepta EM.

FI-

(1) De Amedeo VIII., qui fuit in Baſileenſi Concilio anno MCCCCXXXIX. in Pſeudopontificem cooptatus, vide quæ dixi in poſtrema Diſſertatione pag. 88.

Digitized by Google

Digitized by Google

REGII LEPIDI



SABAVDIÆ





SENARVM





Digitized by Google

FILIB. D. G. DVX SAB. P. PED. *Emanuel Philibertus Dei gratia Dux Sabaudiæ, Princeps Pedemontis*. Adversa pars præfert Crucem graphicè elaboratam cum quatuor siglis F. E. R. T. in ejus angulis dispositis, quæ non indigent interpretatione, addita in orbe inscriptione IN TE DOMINE CONFIDO 1565. V. Alterius nummi antica similis est antecedenti, postica verò ostendit crucem duplici acumine in brachiis absolutam, & siglas ut VIII. supra, sculptis per gyrum literis M. MAG. ORD. SS. MAVR. ET LAZ. 1576. T. *Magnus Magister Ordinum Ordinum Sanctorum Mauritii, & Lazari*. Ordinem Sancti Lazari Sancti Basilii temporibus fuisse institutum ex P. Philippo Bonano, qui de Ordinibus Equestribus & Militaribus graphicè scripsit, didicimus: cæterùm progressu temporis quum ejus splendor paullatim defeciſſet, Equitesque perpauci numerarentur; placuit Gregorio XIII. Summo Pontifici hunc Ordinem cum illo Sancti Mauritii conjungere, & eorum Magisterium in Emanuelem Philibertum transferre, lege lata, ut Equites S. Mauritii S. Lazari quòque recenserentur; quod contigit anno MDLXXIII.

SENARUM.

VIguisse ante annum MCL. apud Senenses facultatem cudendi monetas indubiis excerpsimus documentis, & harum unam (1) illius ævi, quæ in nostro Museo conspicitur, protulit Comes Joannes Rinaldus Carlius Tab. II. n. V.. Nos verò æreos duos pauculo argento mixtos ante annum MCCLX. signatos pri- I. mùm dabimus, quorum primus perhibet in anteriori facie literam S, & verba SENA VETVS; in posteriori crucem cum lemmate ALFA. ED Ω *omega*.

Easdem imagines, & inscriptiones tum in antica, cum in postica præfert secundus; ex forma tamen literarum diverso typo II. fuisse cusum manifestè evincitur.

Aureus est tertius semigothicis inscriptus characteribus, & in

(1) Hic nummus est ex infimo argento conflatus, & in pondere XIII. granis correspondens; est rudibus valde exaratus characteribus; anterior ejus frons exhibet in area unum S., & in limbo SENA VETUS: posterior Crucem, & verba ALFA ET CIↃ.

Digitized by Google

pondere aureo Veneto correſpondens : oſtendit hic in medio primæ frontis unum S. verbis in gyrum poſitis SENA VETVS
III. CIVITAS VIRGINIS. A tergo Crucem hiſce vocibus circumſeptam ALFA 3. O. PRINCIPIVm 3. FINIS. In nummi inſcriptione bis erravit artifex, inſculpſit enim ALFA pro ALPHA, & literam *Omicron* pro *Omega*. Senenſes profligato, & in fugam verſo Florentinorum exercitu ad Montapertum oppidum anno MCCLX. in patriam reverſi, ſumma cum ſollemnitate debitis gratiis Beatæ Mariæ Virgini, cui ante pugnam Urbem obtulerant, reportatamque victoriam adſcripſerant, perſolutis, ad perennandam tanti beneficii memoriam, communibus ſuffragiis, ac ſtudiis decrevere, ut in poſterum in monetarum inſcriptionibus, verbis SENA VETVS hæc alia CIVITAS VIRGINIS adderentur, qua quidèm epigraphe, donec ſtetit Reſpublica, uſi ſunt.

Eadem litera S. viſitur pariter in medio aurei quarti, cujus pondus antecedenti reſpondet, addita in orbe epigraphe SE-
IV. NA VETVS CIVITAS VIRGINis, in cujus ſummitate inſculptus apparet Serpens tortuoſis ſe ſe trahens voluminibus, evomens è faucibus puerulum, antiquum Vicecomitum ſtemma. Ejus averſa pars in omnibus convenit cum antecedenti. Conſpicuum hunc nummum initio Sæculi quinti decimi cuſum facio, quo tempore ſub imperio Joannis Galeatii Vicecomitis Mediolani Ducis Urbs eſſe cœpit: quod ut clariùs innoteſcat, quædam paullo altiùs exponenda ſunt. Inceſſerat annus nonageſimus ſeptimus ſupra milleſimum tercenteſimum; cum Florentini, neglectis fœderis legibus in Senenſem ingreſſi Ditionem, populatis agris, villiſque incenſis, præda onuſti ad ſua rediere. Hacce inopinata aggreſſione excitati Senenſes, ſumptis armis ad proxima hoſtium loca, Brolea Duce, acceſsère, & paria paribus retulère; & ſic grave bellum inter partes exortum. Quod ubi ad Joannem Galeatium Mediolani Ducem Senenſibus conſociatum delatum, juſta ira incenſus Albericum Barbiani Comitem animi magnitudine, & bellicæ rei peritiâ clarum cum auxiliaribus copiis eò jubet proficiſci. Is cum quatuordecim millibus equitum, & multo peditatu ad portas uſque Florentiæ populabundus excurrens, omnia ferro, igneque vaſtavit; deinde ad expugnandam Signiam valido firmatam præſidio adortus, cum

ni-

Digitized by Google

nihil, obſeſſorum virtute, proficeret, in agrum Senenſem repetiit. Caſtris ibi firmatis, ad depopulanda Cortonæ, & Montis Politiani loca exercitus partem immiſit, & Civitellam Aretinæ ditionis oppidum Præſidis proditione in ſuam poteſtatem redegit. Variæ indè velitationes inter emulos factæ ſæpiùs Senenſibus ob militum numerum arridente fortuna. Hoc eodem tempore quum grave inter Vicecomitem, & Franciſcum Mantuæ Marchionem gliſceret bellum, Mediolanenſis ad ſuas roborandas vires Albericum cum bona copiarum parte in Lombardiam evocavit, & ſic martis alea apud Senenſes mutata. Hiſce malis Veneti occurrere cupientes, ad firmandam inter hoſce belligerantes pacem acriùs ſe dedere, & Papiæ, quò eorum Legatos convenire juſſerant, Comitiis habitis; pace fruſtra tentata, induciæ tamen ad decennium ſancitæ ſunt. Quum hæc eſſet conditio rerum, & Senenſium Proceres diutino bello defeſſi in ſummo diſcrimine Urbem verſari animadverterent, ſalutare aliquod afflictæ ſuæ fortunæ remedium quærentes, conſilium cedendæ Urbis Mediolani Duci cœperunt. Habito ergo VIII. Idus Septembris MCCCIC. generali Concilio, cui CCCCLXXXI. Cives interfuere, in eo conventum, ut Civitas in Vicecomitis poteſtatem traderetur, qui ea tempeſtate maximum ſibi nomen apud Principes & Populos comparaverat, & non paucas Italiæ Urbes partim vi, partim ſpontanea deditione ſuo adjecerat imperio. Miſſis itaque Mediolanum Legatis, firmatiſque inter partes honeſtis ſubjectionis legibus (1), Vicecomes dominium habuit in manu, & Comitem Guidonem de Mutiliana Urbi præfecit. Re igitur per hunc modum conſtituta inſequente anno Cives unà cum Præſide ad cudendos aureos, argenteoſque nummos ſe dedere (2), & in novi Principis cultum ejus ſtemma in iis inſculpſerunt.

Scuti aurei dimidium eſt quinctus: ibi conſuetum S in antica; in poſtica verò Crux cum inſcriptionibus, ut in antecedenti. V.

In

(1) Pacta inter Vicecomitem & Senenſes eodem anno III. Idus Decembris ſancita recenſuit Orlandus Malavolta in Hiſtoria Senenſi Part. 2. pag. 186. & ſeq.

(2) Idem Auctor Part. 2. pag. 190.

Digitized by Google

VI. In prima facie ſexti argentei nummi imaginem Beatæ Mariæ Virginis Senenſes pinxerunt cum epigraphe SENA VETVS CIVITAS VIRG*inis*; in adverſa verò Lupam geminis fratribus Romulo, & Remo rumam præbentem (1) verbis in orbe poſitis ALPHA Ʒ Ω. PRINCIPIV*m* Ʒ FINIS.

VII. Ejuſdem Virginis protome condecoratur antica pars ſeptimi argentei nummi additis in gyrum verbis SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. A tergo eminet Crux hiſce vocibus circumſepta ALPHA ET Ω. PRINCIPIVM ET FINIS. 1549.

VIII. Æreus octavus pauculo argento mixtus oſtendit Lupam & duos fratres, cum ſolita inſcriptione SENA VETVS CIVITAS VIRGINIS. Alterius partis medium tegit Scutum, in quo hoc verbum LIBERTAS. : ibi quòque denotatur tempus, quo a monetaria prodiit officina, anno nempe 1550

X. Eaſdem imagines, & inſcriptiones præfert nonus ex eodem metallo conflatus, & tantùm differt in anno ſuæ percuſſionis, qui fuit 1551.

X. Hoc itidem anno ſignatus eſt argenteus decimus, exhibens in anteriori fronte Deiparam, in poſteriori Crucem cum inſcriptionibus ut in ſeptimo.

XI. Undecimus in omnibus convenit cum octavo & nono, dempto anno ſuæ percuſſionis, quæ contigit 1553.

XII. In prima facie duodecimi argentei eminet B. M. Virginis imago, in oppoſita Crux cum inſcriptionibus ut in ſeptimo. Signatus eſt anno 1555, quo quidem anno Senenſes ea libertate, quam per plura ſæcula tutarant, exuti ſunt; & ſic ſe habuit res. Quum graves inter Senenſes Proceres exortæ eſſent diſſenſiones, & rixæ, ut eis finem imponeret Carolus V. Imperator, & Reipublicæ pacem daret, Urbem CCCC. Hiſpanis communivit, & ad cohibendos in poſterùm eorum motus Arcem a fundamentis excitavit. Ea re indignati Senenſes Henrici II. Galliarum Regis impetratis auxiliis, & aliquot turmis mercede conductis in Hiſpanos anno MDLII. inſurrexerunt, & urbe expu-

(1) Romulum, & Remum Romæ conditores a Lupa fuiſſe alitos, nonnulli fabularunt: alii tamen, & veriùs, ſcripſerunt eorum nutricem Laurentiam Fauſtuli uxorem fuiſſe, quæ ob ſuum evulgatum corpus Lupa vocabatur; & locum fabulæ dediſſe.

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. XIIII PAG. 87

SENARVM



Digitized by Google

pulerunt. Quod ubi rescivit Cæsar, Joanni Jacobo Mediceo Mariniani Marchioni mandavit, ut, ductis in agrum Senensem copiis, gravi obsidione Urbem circumvallaret, & tormentis fatigaret: cui occurrens Petrus Strotius bellicà gloriâ illustris, qui Gallicis, & Senensibus armis summo cum imperio præerat, grave bellum excitatum; de cujus vicissitudinibus quum alibi (1) egerim, sat mihi erit commemorare ad annum usque MDLV. perduraſſe, quo Senenses gravi fame pressi, & de tuitione Urbis desperantes, ne Patriæ excidium, suarumque rerum direptionem paterentur, honestis datis, acceptisque conditionibus IV. Nonas Aprilis se dediderunt, & Carolus Philippo filio Senam utì Imperio devolutam in Feudum concessit.

Decimus tertius argenteus summæ raritatis nummus, tribus Juliis Clementis XI. in pondere correspondens, perhibet in antica facie Deiparæ protomen, verbis in gyrum positi: TUO CONFISI PRAESIDIO. In postica lactantem Lupam, duobus puerulis ibi jacentibus, cum hac epigraphe in circuitu R. P. SEN. IN MO. ILICINO HENR. II. AVS. *Respublica Senensis in Monte Ilycino Henrico Secundo Auspice*; in exergo 1555. Senà, ut superiùs diximus, ab armis Caroli occupatà; Marcus Brandinus, Hieronymus Spanocchia, Andreas Banducius, & alii Primates novi Principis imperium pertæsi, Patriâ relictâ, cum pretiosioribus, ac filiis Montalcinum Gallico firmatum Præsidio se contulerunt, ibique factis inter se Magistratibus, electisque Judicibus Rempublicam Senensem fixerunt. Monetariâ quòque Officina nullâ interjectâ morâ constitutâ, nummos ex omni metallo percutere cœperunt, utì ex nota anni in hocce signati manifestè evincitur. XIII.

In decimo quarto æreo pauculo argento mixto, sequenti anno percusso apparent eorundem infantium imagines sub uberibus Lupæ cum epigraphe R. P. SEN. IN MONTF ILICINO; quæ non indiget explicatione. Ejus postica ornatur Cruce, literis in limbo positis HENRICO II. AUSPICE. XIV.

Postremus ex eodem metallo conflatus ostendit in una parte Lupam, in altera Scutum, in quo hæ figlæ S. P. Q. S. *Senatus Populusque Senensis*, cum inscriptionibus ut in antecedenti. XV.

De-

(1) De hoc bello fusiùs scripsi in postrema Dissert. pag. 95. & sequ.

Digitized by Google

Denotatur quòque annus, quo ex monetaria Officina prodiit; qui fuit 1557. ſtetit Reſpublica ad annum MDLIX; quo Philippus Hiſpaniarum Rex, qui Carolo patri ſucceſſerat, & Senam Coſmo Florentiæ Duci in Feudum conceſſerat, pace cum Henrico Francorum Rege conciliata, Montalcinenſium tutelam ipſe dimiſit, & ſuos milites in Galliam evocavit. Qua de re deterriti Cives, quum ſe auxiliis deſtitutos, & impares Mediceis armis agnoſcerent, Urbem in manus Coſmi ſub honeſtis pactis dimiſerunt. Et hic Reipublicæ Senenſis finis fuit.

VENETORUM DUCUM.

AD Andream Contarenum, qui anno MCCCLXVII. abſens, & invitus fuit Dux renuntiatus, ſpectat primus argenteus nummus, *Mattapanis* ſeu *Groſſus* dictus, ut indicant literæ
I. in ejus circulo exaratæ, quæ ſic ſe habent S. M. VENE11*a*-*rum* ANDR*eas* CTAREN*us* DUX. In area viſitur Sancti Marci ſtantis imago, dextera manu vexillum ſuſtinentis, ac illud Duci porrigentis. Dat poſtica Jeſum Chriſtum ſuper Cathedram ſedentem cum libro Evangeliorum in gremio, & literas hinc inde diſpoſitas IC. XC., ideſt *Jeſus Chriſtus*. Sub hoc Duce Januenſes anno MCCCLXXIX. eximiâ de Venetorum claſſe victoriâ ad Polam reportatâ, deſiderio ſubigendi Rempublicam capti, eodem anno cum quadraginta triremibus Venetias vela faciunt, & primo impetu ad obſidendam Clodiam ſe convertunt. Sæpiùs ſed perperam oppugnatio tentata; tandem XVII. Kal. Septembris muris ſuperatis urbs occupatur, & militibus in prædam traditur: ex Venetis octingenti circiter deſiderati, ad quatuor millia capti. Ad ejus triſte nuncium deterriti Patres, cum Januenſium vim ſuſtinere poſſe diffiderent, miſſis ad petendam pacem Legatis ſub iis conditionibus, ſalva ſemper Reipublicæ libertate, quas ipſi præſcripſiſſent, cum eis reſponſum nullam pacem Venetos fore habitaturos, niſi ſibi libero jure ſe permiſiſſent. Patres in furorem elati Populum ad ultionem, & libertatis gloriam animantes ad arma conclamant, ſpecioſis premiis atque honoribus iis pollicitis, qui in tanto diſcrimine armis, aut pecunia Rempublicam adjuviſſent. Itaque collectis, quotquot potuerunt, militibus, navibuſque, & omnibus ad bellum mari geren-

Digitized by Google

rendum neceſſariis comparatis, Claſſem, cui præerat Princeps, ſolvunt, & in hoſtes feruntur. Congreſſis utrinque Claſſibus dubio marte aliquandiu pugnatum; tandem hoſtes partim ingenti ſtragè proſtrati, partim in fugam acti, quibus Clodiæ propinquitas perfugium fuit. Partà victoriâ, Veneti extemplo aliquot navibus, ubi portus erat anguſtus, demerſis, undique interclufis viis, & urbe corona militum circumvallata, ut nemo ingredi, aut egredi poſſet, crebris aggreſſionibus Januenſes fatigabant, qui in multis difficultatibus conſtituti, cum per decem menſes obſidionem ſuſtinuiſſent, & gravi annonæ caritate laborarent, ſe, ſuaque omnia in victorum ditionem, atque arbitratum X. Kal. Quintilis MCCCLXXX. reddiderunt. Hoſtes ad quatuor millia intercepti in Venetiarum carceribus detruduntur: undeviginti triremes cum toto navali apparatu in poteſtatem Reipublicæ devenere. Ea re feliciter patrata, Contarenus Kal. Julii Venetias ovans revertitur, nec multo poſt, viribus jam extenuatus, in lentum morbum incidit, cui cum diu fortiter reſtitiſſet, tandem octogenarius Nonis Junii MCCCLXXXII. finem vitæ ſuæ confecit, & ad Sanctum Stephanum, omnium primus Venetorum Ducum laudatus in funere, ſepulturam accepit.

Argenteus ſecundus eaſdem præfert imagines, & inſcriptiones tum in antica, cum in poſtica, nomine tantùm Ducis mutato, ſub quo obſignatus eſt: fuit hic Antonius Venerius in Michaelis Mauroceni locum ſubrogatus XII. Kal. Novembris MCCCLXXXII. *Mattapanis* & ipſe vocabatur, & hoc genus monetæ primùm cuſit Henricus Dandulus anno MCXCII.; ejus pondus ſtabat cum quatuor & quadraginta granis; progrediente verò tempore aliquam diminutionem paſſus eſt, ita ut noſter, etſi optimè conſervatus, octo & triginta tantùm grana vix æquat. Horum nummorum uſus invaluit ad Nicolai Troni uſque tempora, in Ducem aſciti anno MCCCCLXXI., qui argenteam monetam cudi fecit, (1) cujus pondus centum & viginiſex grana æquabat, & pro viginti Solidis expendebatur. II.

(1) Moneta a Nicolao Trono cuſa anno MCCCCLXXII. erat ex optimo argento conflata, & ejus pondus centum & viginti ſex grana æquabat: repræſentabat hæc in antica parte naturalem ipſiuſmet Du-

cis

Sequitur alter *Mocenicus* sub Thoma Mocenico signatus,
III. qui Ducale Solium conscendit VII. Idus Januarii MCCCCXIII.; ejus anterior pars similis est antecedenti: in adversæ verò limbo hæc legitur Epigraphes TIBI LAVS ET GLORIA.

Anterior quarti argentei nummi frons ostendit Sanctum Mar-
IV. cum Duci in genibus flexo (1) Vexillum Reipublicæ porrigentem, siglis hinc inde dispositis F. F. rei monetariæ Præsidis nomen indicantibus, hisce vocibus in limbo positis IO. MOCENICO S. M. VENETI. hoc est; *Joannes Mocenico*, *Sanctus Marcus Venetiarum*. A tergo inspicitur Christi in Cathedra sedentis imago elevatà dexterà ad benedicendum, sinistrà Evangeliorum librum sustinentis, cum lemmate TIBI SOLI GLORIA; hisce ex lateribus cathedræ dispositis characteribus IC. XC. *Jesus Christus*. Joannes Mocenico Ducali dignitate est auctus anno MCCCCLXXVII., & post octo imperii annos satis cessit. Nummus hic *Marcellus* vocabatur, & hanc nomenclaturam sumpsit a nomine Nicolai Marcelli in Ducem electi anno MCCCCLXXIII., sub quo similes nummi signati sunt. *Marcelli* pondus reddebat siliquas quindecim, & tria grana, & decem Solidis, seu semilibra tunc temporis appretiabatur.

Sub Augustino Barbadico in Principatu assumpto anno M-
V. CCCCLXXXVI. prodiit argenteus quintus, in cujus prima facie repræsentatur Dux genuflexus a Divo Marco vexillum accipiens, literis in gyrum positis AVG*ustinus* BARBADICO. S. M. VENETI*arum*. Dat postica Salvatorem in cathedra sedentem, & epigraphen TIBI SOLI GLORIA. Quum hanc monetam appenderim, inveni duodetriginta grana non exsuperare, ideoque illo ævo pro quinque Solidis expendebatur: & sicuti sub Ni-

---

cis effigiem hisce vocibus circumseptam NICOLAVS TRONVS; & in ejus postica Leonem alatum cum Evangeliorum libro, verbis in gyrum positis SANCTVS MARCVS. Hæc itaque moneta a Ducis nomine *tronus* appellabatur, & pro viginti solidis expendebatur, ideoque erat Libra realis, & effectiva illius ævi.

(1) Post mortem Nicolai Troni a Patribus Lege cautum, ne Duces in posterum propria imagine nummos signarent, sed ipsi genuflexi ante Divum Marcum pingerentur; cui quidem Legi omnium primus Nicolaus Marcellus, qui Trono successit, deinde cæteri Duces paruere.

Digitized by Google

Nicolao Trono effectiva Libra fuit percussa, & sub Nicolao Marcello Semilibra, ita & Barbadico placuit ad uberius commercii comodum quartam partem libræ obsignare: neque mirandum si dictus nummus ad definitum pondus non pertingat, hoc enim ex longo ejus usu evenit, cum ipse sit aliquantulum detritus.

Habes in sexto nummo aureum Ducatum vulgo *Zecchino* sub eodem Duce percussum, in cujus antica parte ostenditur Dux in genua provolutus a Divo Marco vexillum accipiens, cum hac inscriptione AVG. BARBADICO DVX. S. M. VENETI. A tergo inspicitur Salvator noster stans, ad cujus latera hinc quatuor Stellæ, illinc quinque, & a duabus ovalibus lineis circumseptus, addita in limbo epigraphe SIT. T. XPE. DAT. Q. T. REGIS ISTE DVCAT., quæ quidem verba sic interpretanda; *sit tibi Christe datus, quem Tu regis, iste Ducatus*. Prima aurei Ducati percussio successit anno MCCLXXXIV. Joanne Dandulo Reipublicæ clavum moderante, & adhuc Venetiis perseverat: varius, (1) prout placuit hominibus, ejus valor fuit, VI.

(1) De aliquibus tantum hujusce aurei Ducati valoribus placuit nobis differere, incipiendo tamen (cæteris antiquioribus prætermissis) a Nicolao Trono sub cujus imperio computabatur pro Libris 6. & Solidis 4., & in hacce existimatione stetit ad annum 1517. quo fuit taxatus pro Lib. 6. & Sol. 10. Neque diu in hoc pretio hæsit, sed paullatim ad Lib. 7. ascendit, ita ut anno 1529. pro Lib. 7. & Sol. 10, & 1548. pro Lib. 7. 14. fuit computatum. Cæterum ut brevi calamo in enunciandis ejus valoribus me expediam, satis duxi erudire Lectorem, annis 1562 — 1583 — 1593 — cum Lib. 8 — 9 — 10 — fuisse commutatum, & annis 1608 — 1618 — cum Lib. 11 — 12 — conveniisse. Proximo anno, qui fuit 1619. correspondisse in pretio Lib. 13., & 1630. Lib. 14. comperimus; didicimus quoque anno 1634. ad Lib. 15. & proximo ad Lib. 16. ascendisse. Annis verò 1640 — 1647 — stabat cum Libris 17 — 18 —, & anno 1649. cum Lib. 19: 10 — 20 — 21 —. Fluctuavit inde ejus pretium ad annum 1687., quo iterum ad Lib. 17. redactum est, stetitque in hac valutatione ad 1703; sub cujus initium expendebatur pro Libris 18 — Sol. 10 —, mense Martii pro Libris 19 : Sol. 10 —, & duos post menses pro Libris 20. Anno verò 1709. crevit ad Lib. 21., & 1717. ad Libras 22., in quo quidem valore Venetiis etiamnum perseverat.

Digitized by Google

& eo tempore, quo fuit cusus, pro libris tantùm tribus computabatur; hodie verò apud Venetos ejus pretium est Librarum viginti duarum.

Postremus argenteus sub Leonardo Lauredano est cusus, qui Ducalem iniit dignitatem anno MDI. Demonstrat hic in pri-
VII. ma facie ejusdem Ducis in genibus flexi protomen, a Divo Marco vexillum accipientis, verbis in gyrum positis. LEO*nardus* LAVREDANVS DVX. S. M. VENET. In oppositа Salvatoris imaginem dexterà benedicentis, sinistrà Orbem sustinentis, cum lemmate GLORIA TIBI SOLI. Lauredano imperante, Julius II. Pontifex, Maximilianus Cæsar, & Francorum Rex Ludovicus Cameraci anno MDVIII. inito inter se fœdere in Venetorum damnum conspirarunt. Quod ubi multorum literis, crebrisque Nunciis innotuit Patribus, justo exercitu celeriter comparato imperii summam Bartholomæo Liviano fervido juveni, & Nicolao Ursino Petiliani Comiti tradidere. Anno ergo qui insequutus Vere appetente, Rex quadraginta armatorum millia secum trahens ad Glaram Abduæ contendit, atque in hostium conspectum venit, ambo exercitus statim congressi sunt. Idibus Martii per tres horas utrinque acerrimè æquo marte certatum; profligatis tandem Venetis Livianus in Gallorum potestatem devenit. Ea clade exterriti Cremenses, Brixiani, Cremonenses, & Bergomates, de sua tantùm incolumitate solliciti, non expectata oppugnatione, victricibus armis sponte se se dedidere. Insigni hac parta victoria Ludovicus ad obsidendam Pischeriam quingentis munitam militibus adortus, quum Antonium Ripam ejus Præsidem in Venetorum fidem persistere, & minas contemnere cognovisset, bellicis machinis cœpit muros fatigare; facta inde aggressione, plures initio conflictus vulnerati, nonnulli desiderati, languidiores tandem facti præsidiarii omnes ad unum cæsi, Ripa, & ejus filius ad murorum pinnas suspensi. Pari quòque felicitate, & sine sanguinis effusione, Veronam, Vicentiam, & Patavium sui juris fecit Maximilianus; & ita fortunæ ludo jactata Respublica terrestrium Urbium imperio, si Tarvisium excipias, trium tantùm mensium spatio, exuta est. Rebus sic perturbatis, Veneti quàmquam supremo dolore perculsi, animum tamen non dimiserunt, sed restauratis viribus in hostes sæpius insurrexerunt, & post varios belli casus tandem anno MDXVI.

eo

Digitized by Google

eo res adducta est, ut, pace inter disceptantes firmata, ad pristinos Dominos occupatæ Urbes redierint.

VITERBII.

OPellam hanc, quam non injucundam iis præsertim, qui veterum nummorum studio, atque amore ducuntur, fore speramus, duobus Viterbiensibus conspicuis nummis coronamus; de qua quidem Urbe priùs nonnulla sunt differenda, quàm eos referamus. A quibus ergo Viterbium conditum nihil certi habeo, quod proferam, cum Scriptores, & maximè Annius, qui de ejus initiis pertractarunt, ingeniosa potiùs, quæ nos silentio præterire malumus, quàm vera adnotaverint. Urbs itaque sui juris facta adeo opibus, ædificiis, ac potentia crevit, ut a Paschale III. Summo Pontifice anno MCXIII. fuerit Patrimonii Divi Petri Metropolis declarata; & Cives cum finitimis Populis sæpiùs decertantes, nonnullis Oppidis sibi vindicatis, agri confinia protulerint. Viterbiensibus itaque reflorescentibus rebus; ecce gravis repente casus, qui Populi felicitatem interrupit, & ingenti omnia luctu, ac mœrore complevit: etenim Fridericus Ænobarbus, qui Conrado in Imperio successerat, acerrimus Alexandro III. Legitimo Pontifici hostis factus, in Patrimonii Provinciam irrumpens anno MCLXV. ubi Viterbium adveniisset, & Cives, qui jura Ecclesiæ tuebantur, armis suis confisi ei obstitissent; Cæsar rei indignitate permotus, tota acie in Urbem conversa ad deditionem compulit, & summa cum immanitate in populum, atque ædificia desæviit. Ea clade deterriti Cives, & res suas in supremo discrimine versari agnoscentes, saniori usi consilio, fidelitatis sacramentum victori dixere: neque hoc sine premio fuit; iis enim pristina jura, & Castra confirmavit, & alia, in ejus Diplomate enunciata, donavit, necnon Imperiali vexillo Urbem condecoravit. Friderico ex humanis rebus sublato, Henricus filius successit, qui pace cum Celestino III. conciliatà, Patrimonii loca a Patre occupata in ejus manus dimisit. Pontifex Viterbium ingressus cum hance Ecclesiam, ob mortem

Digitized by Google

tem Raynerii, ſuo viduatam Paſtore cognoviſſet (1), Joannem Presbyterum Cardinalem Tit. Sancti Clementis ad hanc Cathedram evexit. Ad annum uſque MCCXL. in fide Pontificum urbs ſterit; quo tempore quum graves inter Gregorium X., & Fridericum II. Imperatorem diſſenſiones, & rixæ eſſent exortæ; Viterbienſes Cæſarem Romam properantem maximo plauſu, fauſtiſque acclamationibus exceperunt, & ei ſponte ſe ſe ſubdiderunt; qui ut eorum animos magis ſibi devinciret, Viterbium Aulam Regiam declaravit, Palatium ingens, ac magnificum a fundamentis excitavit, & Populo facultatem cudendi monetas (2) conceſſit. Ad mortem uſque Friderici, quæ contigit anno MCCL. Imperialibus legibus Viterbienſes paruere, quo quidem tempore Cæſareo expulſo præſidio, iterum ad obſequium Eccleſiæ rediere. Friderico imperante, duæ potentiſſimæ Factiones inſurrexere Guelphorum nempe faventium Eccleſiæ, & Gibellinorum Cæſareæ parti adhærentium, quæ diu Italiæ pacem perturbarunt; teterrima hac lue non caruit Viterbium; & adeo urbem infecerat, ut ipſiuſmet Cives inteſtinis odiis conflictati, & duas diviſi in partes ſe ſe omni injuria, atque contumelia vexare, laceſſereque cœperunt, & ſepiùs inter ſe digladiantes maximas ſanguinis effuſiones paſſi ſunt. Poſt varios deinde caſus cum aliquando prævaluiſſet Gibellina potentia, & Guelphi ab Urbe expulſi exilii incomoda ad annum MCCCXXVI. ſuſtinuiſſent; hi Patriæ deſiderio capti ſub noctis ſilentium muris ſuperatis Forum occuparunt: at ubi cum adverſa factione, Marruccio, & Silveſtro Gatto Ducibus, ventum eſt ad manus, iterum ad urbem deſerendam adacti ſunt. Eo felici ſucceſſu inflatus Silveſter ad res novas animum elevavit, occiſoque Mar-

(1) Procul dubio rejicienda eſt celeberrimi Sigonii ſententia, qui *Lib.* 15 *de Regno Italiæ* ſcripſit. Viterbium Epiſcopali dignitate a Celeſtino III. fuiſſe condecoratum anno 1193.; ſed potiùs audiendus eſt Ughellius, qui perſpicuis documentis e tenebris erutis oſtendit, Epiſcoporum Viterbienſium ſeriem altiùs eſſe repetendam, & ipſe nonnullos enumerat Præſules, qui ante Joannem hujuſce Eccleſiæ clavum rexerunt, & eorum geſta recenſet.

(2) Conſule Felicianum Buſſium pag. 126. & 405., qui uno Volumine italico ſermone ſcripto Viterbii hiſtoriam contexuit, & Romæ typis edidit anno 1742.

Digitized by Google

Marruccio, qui ſolus ejus votis obſiſtere poterat, Urbem ſuo adjecit imperio, atque in eo a Ludovico Bavaro, qui anno proximo Viterbium acceſſit, fuit confirmatus; ſed parum duratura forte; etenim tertio regiminis anno nondum exacto, a Faziolo Vico, quem Populus in opem acciverat, ob ejus ſcelera gladio percuſſus interiit. Faziolo, qui Patriam invaſerat, a Joanne Vico, Romæ Præfecto anno MCCCXXXVIII. obtruncato, ei in tyrannide ipſe ſucceſſit; cumque in imperio ſe confirmaſſet, omnia pro ſuo arbitrio, ac libidine cœpit gubernare, & multa Patrimonii loca in ſuam poteſtatem redegit. Hoc in ſtatu quum Viterbienſes res eſſent, Innocentius VI., qui Avenione verſabatur, ad recuperandas Eccleſiæ urbes ſuperioribus annis a Tyrannis occupatas animum adjecit. Anno ergo MCCCLIII. miſſo in Italiam cum ſuprema poteſtate Ægidio Cardinali Albernotio in militaribus rebus peritiſſimo; ubi Florentiam advenit, Joannem per Nuncios admonuit, ut quibuſcumque juribus abdicatis Civitatem in Pontificiis manibus deponeret, quibus Legati officiis quum Vicus obſtitiſſet, Ægidius ductis in agrum Viterbienſem copiis, elatum Joannis animum adeo flexit, ut ſubitò ſe ad omnia ejus mandata paratum eſſe reſponderit. Purpuratus Viterbium ingreſſus Tyrannum, & ſuos exilio multavit, utque populum in fide contineret, novam Arcem a fundamentis extruxit: cæterum quum Viterbienſes a Pontificiis miniſtris malè haberentur; Franciſcus Vicus Joannis filius tanta animi fortitudine Patriæ defenſionem ſuſcepit anno MCCCLXXV., ut eos ad fugam capeſcendam, & ad proprios lares remeare coegerit. Ad compeſcendos Rebellium motus, ſtatim occurrit cum tribus millibus equitum Joannes Acutus, qui pro Pontifice gentium armigerarum Dux, & moderator erat, commiſſoque prælio, Pontificii partim proſtrati, partim in fugam acti. Partâ victoriâ, adeo crevit Franciſci potentia, ut Montefaliſco, Vitorchiano, & Corneto occupatis, atque depopulatis, reliqua Patrimonii oppida invadere niteretur; & hinc gravia inter Vicum, & Pontificios diſſidia exarſere, quæ direptiones, atque incendia Viterbienſi ditioni intulere. Hiſce malis Viterbienſes preſſi, & Vici tyrannide, quæ in dies augebatur, exacerbati, tumultu excitato, eum trucidarunt, & corpus in Forum extractum populi ludibrio jacuit expoſitum. Poſt hæc Urbanus VI. tunc verus Pon-

ti-

Digitized by Google

tifex, ne ab Ecclesiæ obsequio Viterbienses se se abalienarent, quamplurimis gratiis, inter quas facultas signandi monetas (1) enumeranda, Urbem condecoravit: eo autem functo, & Bonifacio IX. ad Apostolicum Thronum evecto, is ut Viterbienses, qui a fide desciverant, & Clementi VI. Pseudopontifici adhæserant, ad bonam frugem redigeret, suas copias, quibus præerat Joannellus frater, ad oppugnandam Urbem immisit, & Cives ad deditionem adegit. Interea Ladislaus Neapolis Rex, Romà occupatà, quum latè per Ecclesiasticam ditionem dominaretur, neque Populis ulla resistendi spes esset; Viterbienses extremi excidii terrore perculsi Regi se se submisere; & eo, anno MCCCCXIV. ex humanis rebus sublato, iterum ad obsequium Ecclesiæ accessere. Cæterum quum multa iniqua Eugenii IV. temporibus a Jacobo Vico, qui per tyrannidem Urbem invaserat, ipsi paterentur; Pontifex, ut tantis malis occurreret, coacto exercitu, Joannem Cardinalem Vitelleschum Episcopum Recinetensem anno MCCCCXXXIV. ad retundendam Tyranni audaciam immisit. Pugnà feliciter gestà, Jacobus, & filii intercepti in Arce Suriani sub custodia traditi gladio periere, atque in iis generosa Vicorum familia, ex qua quamplurimi Viri omni laude dignissimi prodiere, extincta est. Anno verò MCCCCXL. quum Viterbii nuntiatum, Vitelleschum ex hac vita demigrasse: Princivallus Gattus, regnandi cupidine illectus, Urbem suæ potestati subjecit, qui quum summa humanitate ad annum MCCCCLII. populum gubernasset, a suis emulis insidiis petitus, pugionibus atrociter vulneratus vivere desiit, tanto, ob præclaras ejus dotes, Civium mœrore, ut lacrymas cohibere nequiverint: ejus corpus summa cum pompa ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ ad gradus delatum sepulturæ demandatur. Hunc excepit Jacobus ex eadem Gente procreatus, qui quartum post annum quadraginta, & amplius vulneribus confossus suorum scelerum pœnam luit. Præfuit indè urbanis rebus Ecclesiæ nomine Cardinalis Fortiguerra vir consilio, manuque promptus, qui summà prudentià Civium studia in Pontificis benevolentiam, ac devotionem accensit, eorum odia restinxit, & desideratissimam tandem pacem, quæ etiam num viget, Viterbio dedit. Et hæc de-

(1) Buffius pag. 217.

Digitized by Google

VENETIARVM



VITERBII

Digitized by Google

UNIV. OF MICH.

Digitized by Google

de Urbis viciſſitudinibus ſatis, ad ejuſdem nummos deveniamus.

Horum duos tantummodo ſub Sixto IV. percuſſos hucuſque evulgarunt Antiquarii; nos verò duos dabimus, qui quà formà ſuà, & fabricà multò antiquiores ſe eſſe, & ad Sæculum XIII. ſpectare monent. Jam ſuperiùs diximus Fridericum II. anno MCCXL. jure Zecchæ Viterbium condecoraſſe; ideoque haud multum a vero aberrare putamus, ſi ad hujuſce Imperatoris tempora, vel non multò poſt eorum percuſſionem referamus. Eſt primus æreus argento mixtus, & ad lancem Venetam exa- I.
minatus decem grana appendit. In anteriori ejus fronte efficta eſt Sancti Laurentii urbis Protectoris imago pectore tenus, verbis in gyrum poſitis S. LAVRENT*ius*. Adverſa pars exhibet Crucem cum urbis nomine in circuitu De VITERB*io*.

Ejuſdem ponderis, ac bonitatis eſt etiam ſecundus nummus, cujus prima facies in omnibus cum antecedenti cohereſcit; in oppoſita verò inſculpta apparet Crux hiſce circumſepta charac- II.
teribus COMES ANGVIL*ariæ* (1). Anterioris nummi præſidio hunc quòque ex Viterbienſi Zecca prodiiſſe dici poteſt, ibi enim ſimillima Sancti Laurentii inſpicitur delineata effigies cum ejus nomine in limbo exarato: at quis fuerit ille Anguillaræ Comes, qui aliquando tenuerit principatum, & nummum ſignaverit, altum eſt apud Viterbienſes Scriptores ſilentium. Non me porro latet, luctuoſis Friderici II. temporibus, ferventibus undique bellis, novos quotidie Tyrannos inſurrexiſſe, & variarum Urbium imperium ſibi vindicaſſe; fieri quòque profectò potuit in hiſce bellorum viciſſitudinibus aliquem ex Comitibus Anguillaræ Viterbium occupaſſe, & nummum cuſiſſe, licèt nihil propemodum ex hiſtoriis agnoſci poſſit. Quàmvis ergo monumenta non habeantur, quibus firmare id certò poſſim; attamen ut hunc nodum meliori, quo potero, modo dirimam, conjecturam meam proponendam duxi, quæ ſi quid mereatur, eam probent eruditi; ſin autem meliorem ipſi expoſitionem adferant. Ex enuntiato Buſſio pag. 56. excerpſi, Pandulphum Comitem Anguillaræ Poteſtatis munus, quæ ſanè ea tempeſtate primaria dignitas

(1) Anguillara Oppidum Pontificiæ ditionis in Patrimonii Provincia ad lacum Braccianenſem ſitum 18. milliaribus Roma diſſitum.

Digitized by Google

(1) apud Viterbienſes habebatur, exercuiſſe anno MCCLXXV., qui quum pro bono, atque utilitate Reipublicæ multa præclara geſſiſſet, adeo apud Populum in pretio fuit; ut marmorea inſcriptione (2) meruerit condecorari: facili ergo negotio conjici poteſt, nummum quòque ei eſſe adſcribendum; neque mirum, ſi ad perennandam tanti Viri memoriam, & ejus famam ad exteras gentes diffundendam, Monetarii ex Civium conſenſu ejus agnomen in nummis inſculpſerint.

---

(1) Munus Poteſtatis erat Cauſſas civiles, & criminales judicare, & unà cum Conſulibus præcipua Reipublicæ negotia conſtituere, bella decernere, inire fœdera, & pacem firmare.

(2) Hunc lapidem Viterbienſes excitarunt anno 1275. Eſt hic, ut ipſe Buſſius fatetur pag. 56., antiquo exaratus charactere, & in Publico Palatio adhuc inſpicitur.

Digitized by Google

INDEX

NOMINUM, ET RERUM NOTABILIUM,

Quæ in hac Dissertatione continentur.

A

ADheleida Rodulphi Burgundiæ Regis filia Lothario Italiæ Regi nupta. pag. 67. A Berengario Italiæ Rege in carcerem truditur. 68. Ejus fuga. *ibidem*. Post quartum viduitatis annum novas nuptias cum Ottone I. Germaniæ Rege celebrat. *ib.* Ejus præclaræ dotes. 69. Meritis plena e vita excedit, & miraculis clarescit. *ib.*

Ægidius Cardinalis Albernotius Legatus Pontificius Viterbio potitur. 95.

Albericus Barbiani Comes Florentinis bellum infert. 84. Signiam frustra obsidet. 85.

Alberti Italiæ Regis gesta. 68. & seq.

Alphonsus Aragonum Rex Franciscum Sfortiam Piceno deturbat. 15. A Joanna II. Neapolis Regina in filium adoptatur. 57. Ejus prælia cum Renato Andegavensi. 58. Neapolim obsidet, & furtivè capit. 59. Ejus postrema dies. 60.

Alphonsus Ferrariæ Dux III. Regium recuperat. 79. & Mutinam. 53.

Amedeus V. Comes Sabaudiæ ab Henrico VII. Sacri Romani Imperii Princeps declaratur. 81.

Amedeus VIII. Sabaudiæ Comes a Sigismundo Imperatore Ducali dignitate insignitur. 81. Ordinem equestrem S. Mauritii instituit. 82. In Pseudopontificem eligitur. *ib.*

Anconæ Monetæ Tab. I.

Anconitani a Clemente VII. libertate spoliantur. 2.

Andreas Contarenus Venetiarum Dux. 88. Ejus victoria de Genuensium Classe. 89.

Antonius Venerius Dux Venetiarum. 89.

Aquilanæ Monetæ sub Ladislao Neapolis Rege, & Renato Andegavensi percussæ. Tab. II.

Digitized by Google

Arimini Moneta a Sigiſmundo Pandulpho Malateſta ſignata. Tab. II.
Aſcanius Sforția Cardinalis Bononiæ Legatus renuntiatur. 16. Venetiis, inde in Gallia carceribus demandatur. *ib.* In libertatem reſtitutus Romam petiit, ibique moritur. 17.
Aſculum in poteſtatem Comitis de Carraria devenit. 12. Ejus Monetæ. Tab. II.
Aſtenſes Monetæ ſub Ludovico Francorum Rege percuſſæ. Tab. II.
Auguſtinus Barbadico, Venetiarum Dux. 90.
Aurei Ducati Veneti vulgo *Zecchino* varii valores exponuntur. 91.

B

Berengarius Eporodiæ Marchio una cum Alberto filio in Regem Italiæ renuntiatur. 68, Gravi manu Subditos regit. 69. Ab Ottone I. Imperatore armis preſſus in Caſtrum S. Leonis ſe recipit. 70. In Bavariam relegatur, ibique moritur. *ib.*
Bona Duciſſa Mediolani tutrix Jo. Galeatii. 39.
Bonifatius Marchio Montisferrati. 50.
Bononiæ Monetæ. Tab. III.
Brixiæ Monetæ. Tab. IV. Ejuſdem Urbis obſidio a Carmagnola peracta, & capta. 19.
Buccicaldus Genuenſium Præſes pro Rege Galliæ, vir crudelis. 49.
Buccolinus Guzonus Auximanus Patriam per tyrannidem occupat. 3. Pacem cum Pontifice firmat, & Urbe ſe abalienat. *ib.* Mediolanum ſe confert, ibique laqueo ſuſpenditur. 4.

C

Camerinum Joanni Borgiæ ab Alexandro VI. in Feudum conceſſum. 20. A Joanne Maria Varano recuperatur. *ib.*
Camerini Monetæ. Tab. III.
Carolus Andegavenſis cæſo Manfredo Neapoli potitur. 55.
Carolus Dyracchi Dux, & Neapolis Rex in Ungariam profectus, ibique coronatus, interimitur. 8.
Carolus V. Imperator Mediolanenſem Ducatum ſibi adjudicat. 41. Philippo filio in Feudum concedit. *ib.*
Carolus VIII. Francorum Rex Neapoli potitur, & magnificè excipitur. 62. Ejus pugna ad Tarum. 63.
Carolus Dux Aurelianenſium, Aſtenſis Civitatis Dominus. 15.
Carolus II. Dux Sabaudiæ a Franciſco Galliarum Rege Principatu deturbatur. 82. Ejus mors *ib.*

Ca-

Digitized by Google

Carolus Philippi V. Hiſpaniarum Regis, & Elizabethæ Farneſiæ filius in Ducem Parmæ eligitur. 72.
Caſtri Monetæ ſub Petro Aloyſio Farneſio obſignatæ. Tab. III.
Clodia Venetis erepta a Genuenſibus. 88. A Venetis obſeſſa recuperatur. 89.
Comes de Carraria Pontifici militat. 12. Ad caſtra Ladislai Neapolis Regis tranſit. 13. In præmium virtutis ei Dominium Aſculi aſſignatur. 14. Ejus filii Martino V. Urbem cedunt. *ib.*

D

Decianæ Monetæ. Tab. III.

E

Eleonora Ferdinandi Neapolis Regis filia Herculi Ferrariæ Duci nupta. 25.
Emmanuel Philibertus Dux Sabaudiæ. 82.

F

Fanum Fortunæ ab Innocentio VI. Malateſtis in Feudum conceditur. 23. Ab Pii II. armis in Eccleſiæ poteſtatem redigitur. 24. Ejus Monetæ. Tab. III.
Ferdinandus Alphonſi Aragonenſis filius nothus in Regno Neapolitano ſuccedit. 60. Gravi bello premitur a Primatibus Regni. 61. Fato fungitur. *ib.*
Ferdinandus II. Neapolis Rex Alphonſo patri ſuccedit. 62. Ab armis Caroli VIII. Francorum Regis è Regno deturbatur. *ib.* Principatum recuperat. 63. Brevi diem claudit extremum. *ib.*
Ferdinandus Aragoniæ Rex Neapolitanum Regnum ſuo imperio ſubdit. 64. Finem facit vivendi. *ib.*
Ferrariæ Monetæ. Tab. III.
Firmi Monetæ. Tab. IV.
Franciſcus Maria Urbini Dux a Leone X. Principatu expulſus. 4. Gravia damna terris Eccleſiæ infert. 5. Poſt mortem Leonis ad ſuum Principatum revertitur. 6.
Franciſcus Maria Picus ultimus Mirandulæ Dux. 47.
Franciſcus Eſtenſis Maſſæ Lombardorum Princeps. 37. Matrimonium cum Maria de Cardona init. 38. Moritur Ferrariæ, & ejus corpus Maſſam delatum in Templo Divi Paulli a ſe condito tumulatur. *ib.*

Digitized by Google

Franciſcus Sfortia Picenum ſibi ſubjicit. 14. Ab Eugenio IV. ſpoliatur. 15. Mediolani Dux ſalutatur. 38.
Franciſcus Marchio Mantuæ. 30.
Franciſcus Dux Mantuæ. 32.
Franciſcus Buſſonus, *Carmagnola* dictus, ob ejus ſuſpectam fidem a Venetis interficitur. 10.
Fridericus Gonzaga Marchio Mantuæ a Leone X. Eccleſiaſtici exercitus Capitaneus Generalis declaratur. 31. A Carolo V. Imperatore Ducali dignitate inſignitur. *ib.* In Monferratenſis ditionis poſſeſſionem uxorio nomine immittitur. 32.
Fridericus II. Imperator Eccleſiæ ditionem excurſionibus, & rapinis divexat. 53. Graviter in Eccleſias, & Monacos inſævit. 54. Ab Innocentio IV. exauctoratur. *ib.*

G

Galeatius Maria Sfortia Dux Mediolani a Conjuratis occiditur in templo S. Stephani. 39.
Genuæ Monetæ. Tab. IV.
Genuenſes ſe tradunt Carolo VI. Galliarum Regi. 44. Gallis expulſis Theodoro Marchioni Montisferrati ſe ſubdunt. *ib.* In libertatem ſe vindicant. *ib.* Eorum victoria de Venetorum Claſſe ad Polam. 88.
Guilelmus Dux Mantuæ Eleonoram Ferdinandi Imperatoris filiam matrimonio ſibi jungit. 33. In ipſum conſpiratur. 34. Ejus animi dotes enuntiantur. 35. Baſilicam Sanctæ Barbaræ a fundamentis excitat. 36. Fato functus in Eccleſia S. Barbaræ humatur. 37.
Guido Cardinalis Calcagninus Auximi Epiſcopus laudatus. 76.

H

Hadrianus VI. abſens in Pontificem eligitur. 71.
Henricus Anglorum Rex a Catholica Religione ſe abalienat. 42. In Catholicos graviter inſævit. *ib.* Ejus mors. 43.
Hercules Dux II. Ferrariæ Eleonoram Ferdinandi Neapolis Regis filiam in uxorem accipit. 25. A Venetis gravi bello petitur. 26. E vivis excedit. *ib.*

I

Joanna II. Neapolis Regina Alphonſum Aragonenſem in filium adoptat. 57.

Jo-

Digitized by Google

Joannes Galeatius Dux Mediolani. 39. Iſabellam Alphonſi Neapolis Regis filiam ſibi uxorem accipit. 40. E vita migrat duobus poſt relictis filiis Franciſco, & Bona. *ib.*
Joannes Georgius Marchio Montisferrati. 51. Juliam Friderici, olim Neapolis Regis, filiam conjugio ſibi devincit. 52. Morbi diuturnitate preſſus vitam relinquit. *ib.*
Joannes Mocenico Dux Venetiarum. 90.
Joannes Borgia ab Alexandro VI. Camerini Dux renuntiatur. 20. Poſt obitum Alexandri Principatu exuitur. *ib.*
Joannes Maria Varanus in Camerini Principatum reſtituitur. 20. A Leone X. Ducis titulo inſignitur. *ib.*
Iſotta Ariminenſis Sigiſmundo Pandulpho Malateſtæ matrimonio ſe jungit. 11. Ejus præclaræ animi dotes enuntiantur. *ib.* Veneno ſibi a Privigno propinato vitam relinquit. *ib.*
Julia Varana poſt mortem patris in Camerini Principatu a Clemente VII. confirmatur. 21.

L

Ladislaus Caroli Dyracchii Neapolis Regis filius emortuo patri ſuccedit. 7. Ejus geſta. 9. Romà potitur. 14.
Laurentius Medices a Leone X. Urbini Dux renuntiatur. 4. In bello vulneratus Anconam ſe recepit. 5. Ejus mors. 6.
Lauretum a quibus conditum. 77. A Sixto V. anno MDLXXXVI. Epiſcopali dignitate cohoneſtatur. *ib.*
Leonardus Lauredanus Venetiarum Dux. 92.
Liutprandus Hiſtoricus dubiæ fidei. 66.
Lucæ Monetæ. Tab. IV.
Lucenſes a Carolo IV. Imperatore in libertatem aſſerti. 29.
Lotharius Ugonis Regis Italiæ filius unà cum patre res moderatur. 65. Ejus infelix mors. 67.
Ludovicus Dux Sabaudiæ. 81.
Ludovicus Sfortia, cui *Maurus* cognomentum fuit, poſt Nepotis exceſſum Mediolani Dux ſalutatur. 40. A Ludovico XII. Francorum Rege Ducatu expulſus, atque interceptus in Galliam deducitur, & carceri demandatur, ibique moritur. 41.
Ludovicus Melioratus ab Innocentio VII. ejus patruo Firmi Princeps declaratur. 13. A Carmagnola fractus, & captus. 19.
Ludovicus de Ticionibus in poſſeſſionem Decianæ immittitur. 22.
Ludovici Pici Mirandulæ Domini geſta. 44. & ſeq.

Man-

Digitized by Google

M

Mantua quando venit in potestatem Gonziacum. 30. Ejus Monetæ. Tab. V. VI.
Margaretа Guilelmi Ducis Mantuæ filia Alphonso II. Ferrariæ Duci nuptui tradita. 37. Post mortem mariti Mantuam revertitur, ibique è vita excedit. *ib.*
Maria Henrici VIII. Anglorum Regis filia post obitum Odoardi fratris in Regno succedit. 43. Ad promovendam Catholicam Religionem totis viribus se dat. *ib.* Philippo Caroli V. Imperatoris filio matrimonio se jungit. *ib.* Hidrope pressa extinguitur. *ib.*
Marocia nobilis fœmina Alberico Consulari dignitate insignito nubit. 65. Carceri demandatur. 66.
Massæ Lombardorum Monetæ. Tab. VII.
Mediolani Monetæ. Tab. VII.
Mirandula gravi obsidione ab exercitu Julii III. Summi Pontificis premitur. 44. Ab armis Cæsareis occupatur. 47. In ditionem Estensium venit. *ib.* Ejus Monetæ Tab. VII. VIII.
Montis Ferrati Monetæ. Tab. VIII. IX.
Mutina Julii II. in potestatem se tradit. 53. Ab Alphonso Duce recuperatur. *ib.* Ejus Monetæ. Tab. IX.

N

Neapolis & Siciliæ Monetæ. Tab. IX. X.
Nicolaus Estensis Leonelli filius Ferrariam armis occupare studet. 25. Ejus infelix mors. *ib.*

P

Pandulphus Malatesta Dominus Fani in Castris Ducis Mediolani militat. 18. Brixiam suo imperio subjicit, & nummos cudit. *ib.* Ab ejus dominio expulsus ad suum Principatum revertitur. 19.
Papiæ Monetæ. Tab. X.
Parmæ Monetæ. Tab. X.
Parmensis Libræ diversi valores enuntiantur. 72.
Paullus III. Farnesius Varanis expulsis Camerini Ducatum sibi adscribit. 21. Eumdem Octavio Nepoti in Feudum assignat. 22. Petrum Aloysium filium in Castri possessionem cum Ducis titulo immittit. *ib.*

Pe-

Digitized by Google

Perusiæ Monetæ. Tab. X.
Petrus Aloysius Farnesius a Paulo III. Parmæ, & Placentiæ Dux inauguratur. 71. Ob ejus scelera a Subditis trucidatur. *ib.*
Petrus II. Siciliæ Regis filius emortuo patri succedit. 56. Ejus dissensiones cum Roberto Neapolis Rege, *ib.* E numero viventium rapitur. 57.
Pisarum Monetæ. Tab. XI.
Placentiæ Monetæ. Tab. XI.

R

Recinetum quando, & a quibus fundàtum. 75. A Gregorio IX. Episcopali dignitate insignitur. 76. Sacra Mariæ Virginis Domus Angelorum ministerio in agrum Recinetensem transfertur 77.
Recineti Monetæ. Tab. XI.
Regium ab armis Julii II. occupatum. 78. Ab Alphonso Duce recuperatur. 79. Ejus Monetæ. Tab. XI. XII.
Renatus Andegavensis Neapoli potitur, 58. Ejus gesta contra Alphonsum Aragonensem. *ib.* Obsessus viriliter se defendit. 59. In Galliam revertitur. *ib.*

S

Sabaudiæ Monetæ. Tab. XII.
Senenses a Florentinis bello pressi Mediolani Ducis opem implorant. 84. Se ei subdunt. 85. Ab exercitu Caroli V. Imperatoris gravi obsidione Urbs circumvallata ad deditionem adigitur. 87. Magnatum pars ad Montem Alcinum confugit, ibique Rempublicam constituunt. *ib.* Monetæ Senis, ac in Monte Alcino percussæ exhibentur. Tab. XII. XIII.
Sigismundus Pandulphus Malatesta Arimini Regulus. 10. Ejus enormissima vitia. *ib.* Terras Ecclesiæ infestat. 11. Fano, aliisque Oppidis a Pio II. spoliatur. 12. Ejus mors. *ib.*

T

Theodorus Marchio Montisferrati a Sigismundo Imperatore Vicarii Imperialis titulo insignitur. 49. E vivis elabitur. *ib.*
Thomas Mocenico Dux Venetiarum. 90.

Digitized by Google

V

Veneti bello petunt Herculem Ducem Ferrariæ. 26. Eorum victoria de Genuenſium Claſſe ad Clodiam. 89. Eorum exercitus a Fœderatis fractus ad Glaram Abduæ. 92. Amiſſæ Urbes ab ipſis recuperantur. 93.
Venetiarum Monetæ. Tab. XIV.
Viterbium a Friderico II. Imperatore occupatur. 93. Viterbienſibus ipſe concedit facultatem cudendi monetas. 94. Quibus Tyrannis paruerint Viterbienſes. 95. & ſeq. Eorum Monetæ. Tab. XIV.
Ugo Provinciæ Comes in Regem Italiæ cooptatur. 64. Marociam uxorem ſibi ſumit. 65. Italiam relinquit, & ad ſuum Principatum revertitur. 67.

Die 3. Aug. 1779.

IMPRIMATUR

F. Aloyſius M. Ceruti Vic. Gen. S. Off. Ferrariæ.

Die 8. Aug. 1779.

IMPRIMATUR

J. Lottrecchi Vicarius Generalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 00921 9869



B 3 9015 00231 380 0
University of Michigan - BUHR
Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 00921 9869



B 3 9015 00231 380 0
University of Michigan - BUHR
Digitized by Google

Digitized by Google